




SIGILLVM · VNIVERSITATIS · CALIFORNIENSIS
FIAT LVX
MDCCCLXVIII
EX LIBRIS



IN TACITI DIALOGUM

DE ORATORIBUS

DISPUTATIO

E TYPIS CRAPELET
VIA DICTA DE VAUGIRARD, 9

IN TACITI DIALOGUM

DE ORATORIBUS

DISPUTATIO

SCRIPSIT

A. WIDAL

IN ACADEMIA PARISIENSI JAM LICENTIATUS

AD GRADUM DOCTORIS PROMOVENDUS

PARISIIS

APUD A. DURAND, BIBLIOPOLAM

VIA DICTA DES GRÈS. 5

MDCCCLI

DOCTISSIMIS

ET HUMANISSIMIS VIRIS

E. EGGER ET C. CABOCHE

IN PARISIENSI LITTERARUM FACULTATE

PROFESSORIBUS VICARIIS

DISCIPULI PIETAS

D. D. D.

AUG. WIDAL

IN TACITI DIALOGUM

DE ORATORIBUS

DISPUTATIO.

Hoc interim probasse contentus sum, non esse unum eloquentiæ vultum..... cum conditione temporum ac diversitate aurium formam quoque ac speciem orationis esse immutandam..... pervulgatis jam omnibus....., novis et exquisitis eloquentiæ itineribus opus est..... Exigitur enim jam ab oratore etiam poeticus decor non Attii aut Pacuvii veterno inquinatus, sed ex Horatii et Virgilii et Lucani sacrario prolatus; horum igitur auribus et judiciis obtemperans nostrorum oratorum ætas pulchrior et ornatior exstitit.

(Tacitus, *Dial. de orat.*, c. XVIII, XIX, XX.)

Le second siècle de la littérature latine eut les mêmes prétentions que notre siècle. Il est certain que Tacite, Sénèque, Lucain ont plus d'agitation dans le style et plus de variété dans les couleurs que Tite Live, Cicéron, Virgile. Ils affectent cette concision d'idées et ces effets brillants d'expression que nous recherchons à présent.

(Chateaubriand, *Mélang. littér.*, t. VIII, p. 38 seq., 1836, édit. Pourrat.)

PROOEMIUM.

§ 1.

Antequam ipsum Dialogum adeamus atque interpretemur, non abs re fuerit pauca de illius auctore attingere; non quod nobilem illam litem jam fere tribus abhinc sæculis agitatam[1], et nunc demum dijudicatam[2] iterum instruere in animo sit (quod sane

[1] Beatus Rhenanus primus de Tacito auctore dubitavit remque in controversiam adduxit. (In edit. Basileæ, fol. 1544, p. 445.)

[2] V. Schulzium, *Dialog. de orat.*, Lips. 1788, prolegomena. Du-

nimis fastidiosum et citra utilitatem foret); sed hoc mihi consilium est, scilicet, communem opinionem, qua constat Tacitum esse Dialogi scriptorem, nova aliqua, si fieri potest, afferendo argumenta, pro virili parte, breviter corroborare [1].

Neque Plinio juniori, neque Fabio Quintiliano aureum illum libellum esse adjudicandum locupletissimis argumentis demonstravit vir doctissimus Schulzius [2] et nuperrime apud nos Dupræus [3]; hic quidem plurimos e Quintiliani *Oratoris institutione* locos protulit quos jure a Dialogi oratione, tum ob verborum, tum ob sententiarum repugnantiam differre asseverat; neque fieri posse, ait, ut idem valde repugnantia scribat, ut in hoc libro commendet, quæ in illo vehementer reprehendat [4]; quibus omnibus locis, rei confirmandæ causa, jam hæc adjiciemus :

præus, *Dialogum de orat.* nec Quintiliano nec cuivis alii, sed Tacito esse adjudicandum. St-Calais, 1848.

[1] Ad hoc quidem absolvendum non temere omnino accedimus; quod si tenuis nostrarum investigationum fructus, non tenuis fuit ipse investigandi labor. Omnes enim scriptores qui de ea re in diversas partes disputaverunt diligenter perlegimus et quidquid ex tam varia farragine commodi effluxit, ad nostram tuendam sententiam lucro apposuimus; adeundi erant nobis : Beat. Rhenanus, loc. laud. — Justus Lips. in *Vita Taciti.* — Perraltus, *Parallèle des anciens et des modernes.* Paris, 1696, t. II, p. 198. — Heumannus, *Notæ in Dial.* (Gœttingen, 1719). — Henric. Dodwell. in *Annal. Quintil.* edit. Lemarii, t. VII, p. 140, seq. — Ernesti. Cornel. Tacit. *Opera,* in præfat. et in annot. Lipsiæ, 1752. — Brotierus, Parisiis, 1776, t. I, p. 17; t. VI, p. 342. — Schulzius, loc. laud. — Morabinus, interpretat. *Dialogi*, in præfat. Parisiis, 1722. — Sigrais interpretat. gallic. *Dialogi*, in præfat. Parisiis, 1782. — Dureau de La Malle, *Réflexions sur le Dial. des orat.* in interp. gall., Parisiis, 1817, t. VI, p. 201, seq. — Daunou, *Biog. univers.* voce *Tacitus.* — Schœll, *Hist. abrég. de la littér. rom.* — Burnouf in præfat. et in adnot. — Eggerus, *Journ. de l'instruct. publique,* vol. IV, n° 55; tum n° 91. — Orelli, *Dial. de orat.* Turici, 1830, in præfat. — Doederlinius, Gutmannus ex edit. Orell. — Nicolaüs Bach. *Allgemeine Schulzeitung*, 1831, p. 866. — Nissen. *Critische und æsthetische Bemerkungen der Alterthums-Wissenschaft*, 1841, n° 104. — Fabricii *Biblioth. lat.* l. II, p. xv. — Gutmannus Turicensis *Dial. de orator. non Tacito adjudicandum esse.* Lutetiæ Parisior. 1850.

[2] Loc. cit.

[3] Loc. cit.

[4] P. 24 seq.

Dialogi scriptor cum libertate quoque eloquentiam conticuisse censet. (C. xxxvi.)

Quintilianus, majorem suo studio honorem sperat, idemque eloquentiam efflorescere posse suo, ut Ciceronis tempore, arbitratur, dummodo philosophorum *haustus bibat*. (*Instit. orat.*, l. XII, ii.)

— In Dialogo ipse M. Tullius æqualesque ejus satis irreverenter notantur. (C. xxiii.)

Eosdem contra defendit et laudat amplissimis verbis Fabius. (VI, iii, iv; X, i.)

— Dialogus Saleium Bassum *absolutissimum* vocat poetam. (C. v.)

Hæc vero de eodem apud Fabium leguntur : « Vehemens ingenium nec ipsum senectute maturum. » (X, i.)

— Dialogus Epicurum aliquando adeundum censet et quasdam ex eo honestas *acclamationes* assumi posse. (C. xxxi.)

Fabius vero, Epicurum tanquam oratoribus plane aversandum vehementer propulsat. (XII, ii.)

— Censet denique Dialogi scriptor ad meditandum cogitandumque aptissima esse *nemora et lucos*. (C. xii.)

At contra Fabius non audiendos esse arbitratur eos qui in hoc nemora ac silvas aptissima credunt, « quoniam, inquit, illa ipsa quæ delectant necesse est avocent ab intentione operis destinati. » (Lib. X, iii.)

Jam illud contendere ausim : major sane in Dialogo libertatis amor et spiritus et imperatorum impatientia deprehenditur quam ut possit Quintiliano vindicari; quippe qui, omni abjecto pudore et virilis animi gravitate, stolidum illud monstrum, Domitianum dico, hominum deorumque pestem, nunc inter clarissimos oratores, nunc inter maximos poetas, nunc inter fortissimos duces, [illegible]numerare sustinuerit, ut præsens numen invocare[1] !

Tacitum contra auctorem omnes quidem qui ex-

[1] *Institut. orat.* lib. IV, procem., — Lib. XI.

stant codices manuscripti testantur, quosque diligenter Schulzius enumeravit, imo et ii quos Schulzius non novit, Parisinus scilicet isque, quem paucis abhinc annis in Leidensi bibliotheca asservatum detexit ediditque Trossius[1]. His enim eo major fides est adhibenda quod non ibi, ut in aliis omnibus usque ad hunc diem notis, *Dialogus de oratoribus* ad calcem ceterorum Taciti operum adjicitur, quod forte accidisse credi posset, sed in ipso Dialogi titulo Taciti nomen præferunt[2].

Idem Schulzius, ac maxime Dupræus, magnorum exemplorum copia fusius demonstravere Dialogi orationem valde cum ceterorum Taciti operum oratione consentire, nedum, ut quibusdam placuit, illa ab altera discrepet; utrique nos accedimus, variisque ab his collectis exemplis, hæc, quæ diligenter Taciti opera perlegentibus, nobis occurrere, adjungimus:

Dial. c. XXIX : Infans *delegatus* græculæ alicui ancillæ. In *German.* c. XX : nec ancillis ac nutricibus *delegantur* pueri. — *Dial.* c. XXXI : intellectum eorum quæ neque in virtutibus neque in vitiis *numerantur*. *Hist.* lib. IV, c. V : ceteraque extra animum neque bonis neque malis *annumerent*. — *Dial.* c. I : dum *formam* sui quisque *animi* et ingenii redderet. *Agric.* XLVI : ut omnia facta dictaque secum revolvant *formamque ac figuram animi* magis quam corporis complectantur. — *Dial.* c. XIII : qui nostrorum temporum eloquentiam antiquorum ingeniis anteferret. *Agric.* c. XXI : jam vero principum filios liberalibus erudire artibus et ingenia Britannorum studiis Gallorum *anteferre*. — *Dial.* c. II : nam et Secundo purus et pressus et *in quantum* satis erat profluens sermo non defuit. *Ann.* lib. XIII, c. LIV : *in quan-*

[1] Hammone, 1841.

[2] C. C. Taciti *Germania*. Accessere ejusdem *de Orat. dialogus* et Suetonius *de Viris illustribus*. Scribit nempe Trossius : Sunt folia LX quorum triginta priora *Dialogum de oratoribus*, XVII proxima *Germaniam*, etc. continent. (In præfat.)

tum Germani *regnantur*. In *German.* quoque c. XLV : *in tantum* reperitur pro : tantum. « *In tantum* non modo a libertate, sed etiam a servitute degenerant. »

Restat gravissimum pro Tacito scriptore argumentum quod quidem primus omnium Langius[1] detexit et in lucem prodidit, quodque vehementer equidem miror a Schulzio, Dupræoque, qui fere nihil in hac disputatione inexploratum reliquere, fuisse neglectum. Itaque expediendi illud et explicandi, hic forsan locus fuerit.

Legimus apud Plinium Tacito suo scribentem :

« Itaque poemata quiescunt quæ tu inter *nemora et lucos* commodissime perfici putas[2]. » Quæ verba ad ea esse referenda videntur quæ in *Dialog.* c. IX leguntur : « Adjice quod poetis, si modo dignum aliquid elaborare « et efficere velint, relinquenda conversatio amicorum « et jucunditas urbis, deserenda cetera officia, utque « ipsi dicunt, in nemora et lucos, id est in solitudinem « recedendum est ; » et alibi Maternus Apri orationi respondens (c. XII) : « *Nemora vero et luci* quæ Aper increpabat tantam mihi afferunt voluptatem ut inter præcipuos carminum fructus annumerem quod nec in strepitu, nec sedente ante ostium litigatore, nec inter sordes et lacrymas reorum componuntur, sed recedit animus in loca pura atque innocentia fruiturque sedibus sacris. »

Bene igitur se res haberet ; sed ecce vir non infimi sane subsellii, nos jam ultimo illo tam magni momenti argumento exsultantes, quasi manu injecta, moratur, dum eamdem istam epistolam non Plinio sed Tacito ipsi esse adjudicandam argumentis satis speciosis vehementer contendit[3].

[1] V. Edit. Orellii. Turici, 1830, p. 110 seq.

[2] Lib. IX, ep. x.

[3] Gutmannus, Dissertat. qua Taciti *Dialogum* non esse demonstratur; in edit. Orell. Turici, 1830, p. 110, seq. — Eamdem epistolam Plinio abjudicat Dupræus, Tacitoque vindicat, ex hisque verbis *Poemata quiescunt,* sui propositi tenax, ostendere conatur, a Tacito

Age vero jam acerrimum hujus opinionis propugnatorem ad singulare certamen provocemus; recte an secus fecerimus ipsa res docebit. Proponamus igitur judicum oculis scripta quæ causam continent, duas nimirum Plinii epistolas: scribit Plinius Tacito lib. I, vi :

« Ridebis et licet rideas. Ego ille quem nosti, apros tres, et quidem pulcherrimos, cepi. Ipse? inquis. Ipse : non tamen ut omnino ab inertia mea et quiete discederem; ad retia sedebam : erant in proximo non venabula aut lancea, sed stylus et pugillares. Meditabar aliquid enotabamque, ut si manus vacuas, plenas tamen ceras reportarem. Non est quod contemnas hoc studendi genus. Mirum est, ut animus, agitatione motuque corporis excitetur. Jam undique silva et solitudo, ipsumque illud silentium, quod venationi datur, magna cogitationis incitamenta sunt. Proinde quum venabere, licebit, auctore me, ut panarium et lagunculam, sic etiam pugillares feras. Experieris non Dianam magis montibus, quam Minervam inerrare. Vale. »

Scribit iterum eidem l. IX, x : « Cupio præceptis tuis parere, sed aprorum tanta penuria est, ut Minervæ et Dianæ quas ais pariter colendas, convenire non possit. Itaque Minervæ tantum serviendum est, delicate tamen, ut in secessu et æstate; in via plane nonnulla leviora, statimque delenda, ea garrulitate, qua sermones in vehiculo seruntur, extendi. His quædam addidi in villa, quum aliud non liberet. Itaque *poemata quiescunt, quæ tu inter nemora et lucos* commodissime perfici *putas*. Oratiunculam unam aut alteram retractavi; quamquam id genus operis inamabile, inamœnum, magisque laboribus ruris, quam voluptatibus, simile. Vale. »

Abjudicat autem ille Plinio epistolam sic incipientem[1]: « Cupio præceptis tuis parere, etc. » utpote cum

fuisse poemata sæpius conscripta, ideoque non esse mirum si poeticis verbis et luminibus *Dialogus* ut cetera ejus opera scateant. Vid. Dupræum, p. 45.

[1] L. IX, x.

priore[1] plane pugnantem. « Quippe, ait Gutmannus[2], prior venationem commendat, posterior consilium rejicit. Quippe scribit ille : Experieris non Dianam magis montibus quam Minervam inerrare; hic refert : Minervæ tantum serviendum est. Scriptor posterioris epistolæ : Ais, inquit, Minervam et Dianam pariter colendas esse; in priore autem hæc dicta sunt quamquam non iisdem verbis. Itaque quis credat utramque epistolam ab eodem ad eumdem esse scriptam? Quomodo Plinius Tacito scribere potuit : *Cupio præceptis tuis parere*, scilicet venationem cum studiis conjungere, quum ipse priore in epistola amico idem præcepisset? Quænam porro ista aprorum mentio, quorum modo abundantia, modo penuria est, si ponas unum esse utriusque epistolæ scriptorem? » Tacito igitur Gutmannus tribuit epistolam IX, x, hoc nempe prætendens : Plinium fuisse venandi amantissimum, apparere vero posterioris epistolæ scriptorem, non fuisse venatorem; eumdem insuper dicere se vehiculo usum esse quum in villam abiret, Plinius autem IX, xxxvi. « Non vehiculo sed (quod brevius quia velocius) equo gestor[3]. » Addit Gutmannus : « non Plinii carmina nota esse, nam versus exercitationis causa compositos, poemata dici non posse, Tacitum muneribus publicis defunctum sæpe orationes confecisse, quanquam deperditæ sint. Plinius de silva et solitudine locutus erat, de silentio quod venationi detur, de montibus quibus inerret Minerva; Tacitus villam adit. Si litteras non secum portavit, sed e memoria respondit, quid mirum similibus quidem eum non vero iisdem verbis usum esse : Sed tanta penuria est ut Minervæ et Dianæ, quas ais pariter

[1] L. I, vi.
[2] Vide Dissertat. Gutmanni, loc. laud:
[3] Ne minimum quidem pondus habet illud argumentum, quum in eadem epistola, l. IX, xxxvi, ad Fuscum (de industriane an negligentia omiserit Gutmannus nescio) hæc scribat et quidem ante ea quæ ille excerpsit : « si *vehiculum ascendo*, ibi quoque idem quod ambulans aut jacens, durat intentio mutatione ipsa refecta. »

colendas convenire non possit. Epistola illa posterior, ut a Plinio, cum aliis ejusdem epistolis plane pugnat. Sin Tacitum auctorem ponas, omnia optime solvuntur[1]. »

Subtiliter et acute fateor hæc objici et fieri posse ut quibusdam rem non altius perscrutatis, fucum faciant; nos autem vanam illam censemus argumentationem, Pliniique esse utramque epistolam jam sic demonstrare conabimur[2] :

1° Utramque epistolam non Tacito, sed Plinio omnes codices manuscripti adjudicant[3].

2° Non verisimile est solam illam Taciti epistolam inter Plinii epistolas irrepsisse.

3° Quod si Taciti est posterior epistola, qui fit ut tam longo intervallo (l. I, vi; lib. IX, x) distet ab illa Plinii, cui respondet, quum soleat ille rescribentium litteras suis continuo subnectere.

4° Plinius testatur se[4] litteras suas collegisse nullo servato temporis ordine : « neque enim, ait, historiam componebam, sed ut quæque in manus venerat. » Itaque si quis epistolas illas ea mente perlegat tanquam scilicet epist. IX, x, scripta fuerit ante epist. I, vi, omnia optime inter se congruunt.

Plinius enim, utpote timidæ indolis et natura placidissimus, parum erat venandi studiosus; quin etiam scriptum hoc in se ipsum a Martiale memorat[5] :

Totos dat tetricæ dies Minervæ[6].

[1] Probabilius sane verba illa, Minervam et Dianam pariter colendas et eas simul montibus inerrare, in quadam ad Plinium a Tacito epistola usurpata fuisse, eaque a Plinio rescribi ut ostenderet amico suo eum non errasse, quum hæc suaderet.

[2] Læti quidem fatebimur nos in hac de duobus Plinii epistolis disputatione multum debere Eggero tam raræ humanitatis et doctrinæ viro.

[3] Manuscript. codicum auctoritatem gravissimi et doctissimi viri amplectuntur : Casaubonus. — Gesnerus. — Langius. — Eischtadius (V. Schulz. loc. laud.). — Brotierus, — et nuperrime Nicolaüs Bach. Vide *Allgemeine Schulzeitung*, 1831, p. 366, loc. cit.

[4] *Epist.* l. I, i.

[5] *Epist.* III, xxi.

[6] Martialis *Epigr.*, X, xix.

Tacitus autem natura ferocior et procul dubio venando præstans[1] forsan Plinium hortatus erat ut conaretur venationem cum studiis conjungere, ad quod sic respondet Plinius l. X, IX : « Cupio præceptis tuis parere, sed aprorum tanta penuria est, ut Minervæ et Dianæ, quas ais pariter colendas, convenire non possit ; itaque Minervæ tantum serviendum est. »

Hæc quidem verba *itaque Minervæ tantum serviendum est* plane cum illo Martialis versu consentiunt

Totos dat tetricæ dies Minervæ.

Post hanc epistolam inexpectata sane ista altera Tacito supervenit l. I, VI :

« Ridebis et licet rideas. Ego ille quem nosti (ut gallice vertamus, *pour un pauvre chasseur*) apros tres, et quidem pulcherrimos, cepi. Ipse? inquies. Ipse. Non tamen ut omnino ab inertia mea discederem ; ad retia sedebam, etc. . . . .

. . . . Experieris non Dianam magis montibus quam Minervam inerrare. » Inde colligi potest Tacitum eum esse hortatum ut Dianam in montibus quæreret ; Plinius autem sibi constans Minervam secum adduxerat. Ceterum alibi etiam de novo venandi illo genere mentionem facit : « Venor aliquando, sed non sine pugillaribus, ut, quamvis nihil ceperim, non nihil referam[2]. »

Duo autem illa testimonia non ideo infirmantur quia Plinium fuisse indefessum venatorem ex variis ipsius epistolis constare credunt[3]. Immo has attente perlegenti satis apparebit votis potius quam re venatum esse Plinium, et eo magis cupiisse quod minus expertus esset, utpote multis occupationibus semper districtus[4].

[1] Ex his ceterum verbis *proinde quum venabere*, lib. I, VI, prorsus liquet venatum esse, imo venationi esse deditum Tacitum, multo antequam hæc scriberet Plinius eum ad venandum hortantia.

[2] *Ep.* l. IX, XXXVI.

[3] II, VIII ; V, VI ; IX, XVI, *Epist.*

[4] « Studes? an piscaris? an venaris? an simul omnia? . . . .

Quod attinet ad illud argumentum, Plinium poemata non scripsisse neque ea fuisse Romæ circumlata, prorsus temerarium est, quum hæc apud Plinium legantur (pauca inter multa excerpsimus) : « Nunquam a poetice alienus fui; altius enim repetam. Quin etiam quatuordecim natus annos græcam tragœdiam scripsi. Qualem? inquis. Nescio; tragœdia vocabatur. Mox quum a militia rediens in Icaria insula ventis detinerer, latinos elegos in illud ipsum mare insulamque feci. Expertus sum me aliquando et heroico. . . . .

« Plura metra, si quid otii, maxime in itinere, tentavi. Postremo placuit exemplo multorum unum separatim hendecasyllaborum volumen absolvere: nec pœnitet...

« Legitur, describitur, cantatur etiam et a Græcis quoque quos latine hujus libelli amor docuit, nunc cithara nunc lyra personatur...... et tamen non de meo sed de aliorum judicio loquor, qui sive judicant, sive errant, me delectant; unum precor ut posteri quoque aut errent similiter aut judicent. Vale[1]. »

Ex illa igitur epistola satis liquet a Plinio poemata fuisse composita; ex superioribus, illum fuisse epistolæ (*Ep*. IX, x) auctorem, verbaque illa, *inter nemora et lucos, ut tu putas*, etc., a nobis, Taciti in hac lite defensoribus, posse lucro apponi.

Sed jam relinquamus horridam illam, qualiscumque est, eruditionis silvam, lætioremque viam ingressi, ad jucundissimum Dialogum festinemus.

Sed sive omnia simul, sive aliquid facias, non possum dicere : invideo. Angor tamen non et mihi licere quæ sic concupisco ut ægri vinum, balnea, fontes. Nunquamne hos arctissimos laqueos, si solvere negatur, abrumpam? Nunquam, puto; nam veteribus negotiis nova accrescunt nec tamen priora peraguntur. Tot nexibus, tot quasi catenis majus in dies occupationum agmen extenditur. » II, viii. — « Summam te, Mamiliane, voluptatem percepisse ex isto copiosissimo venandi genere non miror, quum, historicorum modo scribas, numerum iniri non potuisse. *Nobis venari nec vacat nec libet. Non vacat, quia vindemiæ in manibus; non libet, quia exiguæ*. » IX, xvi.

[1] Lib. VII, iv. Conf. *Epist.*, l. IX, xvi.

§ 2.

> Il y aurait un travail littéraire fort intéressant à faire sur ce Dialogue. La grosseur déjà considérable du volume m'oblige d'y renoncer.
>
> (Burnouf, Notes sur le *Dialogue des orateurs*, t. VI, p. 430.

Si quis, libellum hunc perlecturus, et, nescio an, materia et auctoris nomine pellectus, aut longam, et, ut credo, minime novam, de eloquentia, atque poetica disputationem exspectet, aut, æque obsoletas, de eloquentia vel potius rhetorica præceptiones, aut vagum aliquid de veterum cum recentioribus certamine, timeo ne delusum brevi se sentiat.

Equidem nolim tritis jam vestigiis insistere, neque reipublicæ aut artis ipsius multum interesse arbitror, utrum eloquentia an poesi plus honorum famæque pariatur[1] : neque præceptis indigere illos qui ad dicendum sese accingant, quorum quidem hominum seges sponte sua satis efflorescit. Quod ad litem inter nostrates ac veteres attinet, quæ quidem a Demetrio Phalereo ad Ludovici quartidecimi ætatem nimis heu temporis atque ingenii insumpsit[2], religiosum existimarem quidquam istius materiæ retractare.

Superest Dialogus qui, ut nobis videtur, egregie corruptam eloquentiam et orationis judiciique miram inclinationem indicat : quique, ciceronianis formulis et rationibus et artibus dicendi jam vanescentibus, nondum autem barbarie ingravescente, quasi medium punctum videtur obtinere, et inter gravem

[1] V. *Dial. de orat.*, c. v, vi, vii, viii, ix, x, xi, xii, xiii.

[2] Conf. Cicer. *de Orat.* II, xxiii. — Idem *Brut.* ix. — Horat. *Epist.* lib. II, i. — Quintilian., *Institut. orat.*, X, i. — Perraltus, *Parallèle des anciens et des modernes*, passim. — Fénelon, *Lettre à l'Acad. franç.*, ch. x. — Fontenelle, *Digression sur les anciens*, édit. 1825, t. IV. *Mélanges*, page 249. — Marmontel, *Mélanges*, voc. *Anciens*.

majorum et solutam nepotum eloquentiam, inter Augusti ætatis auream dignitatem ac Trajani auratam majestatem, ab utraque aliquid mutuatus, utriusque malum bonumve explanat, utriusque vicissim causam agit, quanquam propriam sententiam tegit, patronique partes, non judicis adimplet.

Quapropter nihil in Dialogo quæremus, nisi vestigia hujus contentionis, quæ, viginti abhinc annis, tot mentes perturbavit, alias septimidecimi, alias nonidecimi sæculi propugnatrices, cujus quidem litis ut nomina nova sunt, non item materia nova est[1]; nam quum, ducentis abhinc annis, veteres inter ac recentiores dirimebatur, unum id recentiores asserebant[2], locum esse juxta veterem pulchritudinem novæ, et suam fuisse priscis, suam recentibus, utramque variam, utramque magnam : nostra vero memoria, recentiorum signiferi, non solum novas suas artes prædicaverunt, verum priscas momorderunt et carpserunt, tanquam propria laus nonnisi superiorum extincta laude posset conflari, et professi sunt se ad prisca omnia abolenda, et artem denuo instaurandam natos. Similis audacia, Taciti ætate, invaluerat, simile priscæ eloquentiæ odium, eadem priorum intolerantia[3].

Istam impatientiam prodit Dialogus : neque [illegible] ætatis novatores misericordius quam nostrates antiquitati parcunt : dux eorum, Aper, novas artes tuetur, veteres carpit; confutat Aprum Messala; præcipua Apri argumenta singillatim dilucidare, perpendere, judicare, et cum recentiorum Aprorum ratiocinamen-

[1] « C'est une des pièces (le *Dialogue*) les plus intéressantes de l'éternel procès des anciens et des modernes. . . . .
. . . .
procès qui s'est renouvelé de nos jours avec d'autres *éléments et sous d'autres noms,* et qui recommencera toutes les fois que l'esprit humain croira faire un progrès, dût ce progrès le mener à la décadence. » Burnouf, introduction, page 29. Paris, 1832.

[2] V. Perralt., *Des anciens et des modernes,* passim.

[3] Conf. Quintilian., lib. X, c. I.

tis conferre; idem facere quod ad Messalam pertinet, et quomodo recentiores Messalæ prioribus consentiant aut dissentiant statuere; uno verbo antiquæ et novæ artis litem, quæ fuerit Trajani ætate, quibus partibus a nostra differat aut similis sit, exponere, hæc mea opera est.

Hoc tamen præmonitum volumus, non tam de romana eloquentia in illo Dialogo disputari quam de ipsarum litterarum occasu. Eloquentiam selegit scriptor cum ceteris artibus pariter ægrotantem et quia illa cum veteribus doctrinis atque institutis arctioribus vinculis conjungitur.

CAPUT I.

§ 1.

Inquiramus nunc quibusnam argumentis Aper primum causam suam, id est, recentiorum, agat, quibusque, adversam impugnet. Antequam in ipsa rei, ut aiunt, viscera, introeat, ipsam temporis diversitatem ac discrimen, ipsum etiam antiquitatis nomen perpendit [1], neque enim, si res vere æstimare velis, proprie antiquitatem aut antiquos reperias : inanis est illa alterutrius sæculi repugnantia cum altero, quam jam facete Horatius delusit [2]; quos prædicatis veteres, vix

[1] C. XVI.

[2]
Scriptor abhinc annos centum qui decidit, inter
Perfectos veteresque referri debet? an inter
Viles atque novos? Excludat jurgia finis.
Est vetus atque probus centum qui perficit annos.
Quid? qui deperiit minor uno mense vel anno,
Inter quos referendus erit? veteresne poetas?
An quos et præsens et postera respuet ætas?
Iste quidem veteres inter ponetur honeste,
Qui vel mense brevi, vel toto est junior anno.
Utor permisso, caudæque pilos ut equinæ,
Paulatim velio, et demo unum, demo etiam unum:

ducenti anni a nobis sejungunt, neque operæ pretium est ita veterum laudes in ignominiam nostram vertere, quum *ad respectum immensi hujus ævi et naturam sæculorum*[1] admodum breve sit intervallum: in hac juventute orbis, libenter dicam aut nullos veteres esse, aut veterrimos, qui longissime ab orbis initio recedant. Nihil enim prodest, aliquot annis superiorem esse, aut, si quid ponderis habeat ætas, præstiterit forsan præcedentium experientia et exemplis uti quam viam inire intactam, et posteris exempla dare[2] : quanquam cito transeamus minime validum argumentum illud quod paucissimi et infimi tantum usurpant.

§ 2.

At gravior sane et diutius inspicienda ratio illa est, non immotas esse artium aut dicendi formas, neque durare integras inter hominum et morum et gentium rudera : contra immutari eas cum temporibus, et quasi quadam diversitatis perpetuitate renovari[3]. Etenim, si religio quædam aliquot formularum et præ-

Dum cadat elusus ratione ruentis acervi,
Qui redit ad fastos et virtutem æstimat annis.
Epist., lib. II, I, v. 36 seq. — Conf. Voltar., *Dictionn. philosoph.* voc. *Anciens et modernes*.

[1] C. XVI.

[2] De eadem re sic disserit Perraltus : « N'est-il pas vrai que la durée du monde est communément regardée comme celle de la vie d'un homme ; qu'il a eu son enfance, sa jeunesse et son âge parfait, et qu'il est présentement dans la vieillesse? Figurons-nous, de même, que la nature humaine n'est qu'un seul homme ; il est certain que cet homme auroit été enfant dans l'enfance du monde, adolescent dans son adolescence, homme parfait dans la force de son âge et que présentement le monde et lui seroient dans la vieillesse. Cela supposé, nos pères ne doivent-ils pas être regardés comme des enfants et nous comme les vieillards et les véritables anciens du monde? » T. I, p. 50. — In eumdem prorsus modum disserit Fontenellus. (*Digression sur les anciens*, loc. cit.)

[3] « Agere enim fortius et audacius volo, si illud ante prædixero, mutari cum temporibus formas quoque et genera dicendi. Sic Catoni seni comparatus C. Gracchus plenior et uberior ; sic Graccho politior et ornatior Crassus, etc. » *Dialog.*, c. XVIII.

fixorum exemplarium fiat, et per magistrorum quodlibet verbum juretur, mox enervantur ingenia, et debilitatur vis cogitandi, neque scriptores jam enituntur ut vivida et peculiari nota inscripta opera edant, sed ad stolidam sese conferunt imitationem. In hoc autem constat vera ingenii vis, ut duplex pulchritudinis genus consocietur, hujus nempe quæ una eademque durat, quæ sibi humanos affectus, et cupiditates depingendas adjudicat, et illius minus universæ, multo minus stabilis, quæ locis constat et moribus, et, ut ita dicam, habitu et vestibus. Altera æterna est, nec magis quam ipse homo immutatur; altera autem mutatur cum temporum conditione; si quidem scriptor aliquis intra prioris pulchritudinis fines se contineat, id est, universæ, et præcipuis animi sensibus, iræ, ultioni, mœrori, voluptati exprimendis tantummodo intentus, colorem eum externum negligat, et affectus illos propria quadam et peculiari veste omittat induere, erit opus ejus ut laxum vestimentum, corpori omni aptum, id est, nulli. Si contra, neglectis affectibus, et sempiternis humanæ naturæ sensibus, totus in ea quæ exteriora sunt, et peculiare quidquam habent, mores, loca, vestes, se conferat, mox, interjectis aliquot annis, deerit operibus ejus vis ea qua detineamur; ne ea quidem intelligemus, alienique alienum opus vix intuebimur. Quod si quis autem utramque pulchritudinem in se jungat, universam et propriam, erit Homerus aut Molerius, scilicet et omnium regionum et suæ civis, omnium ætatum e[illegible]ætatis scriptor. Quum ita res se habeat, quis dubitet quin deceat, imo oporteat, incolumi fonte illo inexhausto humanorum affectuum, servatis cupiditatibus et πάθεσι, usque renovare formam et amictum. Hisce verbis solvitur trita illa quæstio utrum sit necne una pulchritudinis species, una artis forma : una quippe est pulchritudo, semper eadem, quam difficile est intueri, difficile assequi, qua oculi et illuminantur et incalescunt, quæ artificis animo illucet, et « ad cujus imitationem, artem,

ut ait M. Tullius, manusque dirigit[1]. » At per se multiplex ars est, multiplex eloquentiæ ac poeseos vultus : augetur et ditatur sermo, novæ patent ingeniis viæ; immutationes illæ arte assimulentur et delineentur oportet: oportet, ingeniis proficientibus, artem proficere, et renovari flumen ingeniorum recenti alluvione: non magis moribus nostris convenit atticum dicendi genus quam septimidecimi sæculi eloquendi ratio; neque illud consuetudini nostræ magis repugnat quam illa posterior : mutata insuper rerum publicarum gubernatione, nequit ars manere immota ; ideo facilior erit semper ac melior causa prænuntiantium futuram litterarum ætatem quam defendentium anteactam. Non quod aut veteres temnere aut novitatem affectatione persequi et naturæ fines ac decoris transgredi, virtus mihi videatur; neque tamen abhorrendum censeo a legitima novandi voluntate dummodo (quod sane difficile est) intra justos fines consistat. Itaque varias et mutabiles profitebimur repræsentandæ naturæ rationes; natura quidem licet extrinsecus tam diversa videatur, tamen intus una est. At hominum ingenia diversis modis illam intuentur. Editur artificiosum opus, varium, prout res externæ scribentis animum permovent ; et nunc severitate et castitate legentes percellit; nunc mentis fervori habenas permittit et facetis mille et vividis coloribus opera distinguuntur; pergrata sane animo nostro duplex illa placendi via. Ideo Apri argumentum verum esse fatebimur levisque nobis servilium [redacted] ætatis imitationum erit jactura.

§ 3.

Quod quidem confirmat [2] ipso illorum veterum exemplo : qui ne ipsi quidem uno genere artem in-

[1] *Orat.*, c. II.

[2] « Hoc interim probasse contentus sum non esse unum eloquentiæ

cludebant, nec una specie illam repræsentabant. Nihil enim aliqua parte magnum dici potest, nisi et varium fuerit : duplex enim forma est, una et varia, æque legitima, æque in ingenii operibus respicienda, nempe ut omnia in unum vergant et una sit operis finis ac summa ; simul autem ut multiplices in sinus abeat et quadam colorum diversitate gravitas operis depingatur. Nulla ergo, ne attica quidem ætas, varietate caruit ; quid enim diversius quam aureum Athenarum illud ævum, omnis generis ingeniis uberrimum, historicis, fabularum scriptoribus, epicis poetis, philosophis ? quid si unum singulatim intueamur, quid Homero diversius ?

Sic et Augusti ætas quam variis effloruit ingeniis, quam mirum in modum effusa hujus sæculi ubertas ! Nonne Cicero historicum in se, philosophum, consularem, grammaticum et oratorem complectitur ? Quid inter Virgilii *Bucolica* et *Æneida* commune ? Quanta orationis et materiæ diversitas ! Nonne ipse noster Tacitus *Dialogum* idem et *Annales* conscripsit adeo inter se dissimiles ut vix unius et ejusdem manum in eis agnoscas ?

At nostrum ipsum septimumdecimum sæculum et propugnatores et adversarios suos varietate sua pariter confutat, quum prioribus quidem malum sit argumentum in novatores, ejus prætendere *unum tenorem*, ut aiunt, et posterioribus, quos fugit illa varietas, perperam hanc ætatem adspernari. Taceam enim Racinium, *Andromachen* eadem manu et *Litigatores* scribentem, alia fabula lacrymas moventem, alia, risum : taceam Molerium comœdiam in omne documenti genus informantem et ab Atellanis ad gravissimas de moribus disciplinas æqua vi transeuntem. Unum Cornelium nominem, quem nequeo satis admirari, quod non solum tragicum carmen ad summum provexerit et quid-

vultum sed in illis quoque quos vocatis antiquos plures species deprehendi. » C. XVIII.

quid magnum est, sibi exprimendum adjudicaverit, aut quod primum gallicam comœdiam e cerebro suo velut armatam ediderit, sed quod aliquid majus, si fieri potest, conatus sit, scilicet heroicam fabulam, quod nihil aliud est nisi recentiorum, ut vocatur, δρᾶμα. Videtur mihi *Nicomedes* primum hujusce generis operum et splendidissimum exemplar : tragœdiam esse dicas, si personarum nomina et rei gravitatem intuearis, comœdiam, si acumen ingenii, et sermonis elegantiam et præsentem usque εἰρωνείαν. Vix aliud queam causæ meæ opportunius exemplum adsciscere : diversitas ipsa ingenium capax arguit; nedum sit deterius quod diversum est; Apri igitur partes amplectimur et novatores hic veterum exemplo tuemur.

§ 4.

Nunc autem, diffusis undique disciplinis, et perpolito ad unguem usque sermone, ideo jam longo usu hebetati, novitatem magis persequimur quæ lassatos animos recreet atque oblectet. Quoties enim frequenti cum ceteris gentibus commercio, et, opulentia adaucta, humanitas crevit in immensum, jam recedunt a simplici rerum effingendarum ratione, et tritas vias derelinquunt et hactenus intentatas investigant. Tum contendere inter se delicatissima et lepidissima ingenia si plures inveniant ejusdem rei dicendæ modos, si aut plura paucioribus dicant, aut pauciora pluribus, si flosculos majore arte disseminent : inde litteræ aut periculum adeunt aut proficiunt; periculum quidem adeunt cum illi conatus in exile quidquam ac jejunum evadunt, et rerum curam verborum labor opprimit, ita ut illa novitas nil nisi novum tædium ac fastidium legenti afferat; sic Plinii *Panegyricum* et Ausonii sermones[1] tantum

[1] Conf. Ausonii Epist. epigram. passim.

tuetur nimia antiquitatis reverentia. Rursus proficiunt, quum conatus illos alit et sustinet vivax ingenium, quod, et fortius ac vividius expressis rebus, audientes non tantum movet et detinet, verum etiam docet, quum, uno verbo, novitatis studio incensum et abreptum nova placendi itinera invenit novasque, ut ita dicam, metalli venas fodit et ostendit. Sic Taciti nostri scripta etiam juxta Ciceronis et Livii, etsi alia, non inferiora mihi videntur; diversum est orationis genus, diversæ res, par ingenium. Illa est felix et prope divina novandi ambitio, qua disciplinæ et artes quasi humi jacentes eriguntur instauranturque; hoc quidem Aper indicat asseverando jam obsolefieri pristinas orationis formas, nec jam tolerari præsenti in tempore quæ privatam oratoris ad personam spectant et quibus ille medium se in res quasi introducit[1]: in hoc semper fere peccatum; neque una ætas est litterarum in qua scriptor facile de semetipso taceat et legentes patiatur ignorare quisnam sit.

Sane, Ludovici quartidecimi ætate, gallici scriptores nomen suum de industria latere volebant, seu veterum imitatione, seu potius christiana quadam modestia; et in hoc quidem ad superstitionem usque progressi sunt et voce uti solent *on* ne sui mentionem faciant : Fontanium excipiam, cui propter peculiare operis genus, major concedebatur licentia; in octavodecimo sæculo, adaucta libertate, et privatorum audacia effervescente, undique scriptoris tempus et persona in scriptis deprehenditur et in fabulis philosophiæ præcepta et præsens rerum status vestitu quodam antiquo male tegebantur; nostra ætate, crevit cum ipsa civili libertate, illa scriptorum libertas, et totus prope libellus constitit depingendis auctoris seu *voluptatibus* seu *luctu,* stimulante insuper philosophiæ studio, quo nuper omnium animi incensi sunt; illa severis suis naturæ humanæ et τοῦ ἐγώ, ut aiunt, in-

[1] C. XIX.

vestigationibus, scribentes impulit ut sese in operibus suis quasi in scena aliqua omnibus conspiciendos præberent; quos nominare supersedeo, genus hominum signasse contentus.

§ 5.

Quod si ad alterum Apri in veterum fautores crimen accedamus, nempe longiores illos esse et diffusos, erit sane ut admiremur, crimen illud pro virtute apud recentiores nostros haberi : ita ut quod Romæ obsoletum, apud nos novum et floridum et divitis ingenii indicium existimaretur. Neque enim breviter ac præcise rem depingunt, neque paucis verbis unum sensum includunt. Quod si eorum *dramata* intuearis, non quinque actus sufficiunt plerumque, sed aut τριλογίᾳ utuntur aut sub *partium* nomine actus dissimulant, aut duobus etiam diebus id volunt peragi : multiplices sunt personæ, multiplex fabula, multiplicibus locis res agitur, imo tota cujusque vita quasi evocatur ab initio ad præsens temporis articulum : magniloquas hic audire est, ut Græci vocant, μονολογίας quæ etsi pulchritudine et majestate interdum non destitutæ sunt, tamen fatigant audientem et verisimilitudinem minime retinent : in hoc quidem veteres nostri æque ac recentiores peccant scriptores : fuit hæc septimidecimi sæculi poetarum culpa ut *lenta principia, longiores narrationes, otiosi excessus*[1], jejunus color, crebro legentes offenderet. Ac recentiores his vitiis adeo offensi minus tamen ab iis abhorruerunt : quod si in medias res festinare se jactant, id ego parvi æstimo si, vix ingressi, origines et initia repetant, suam vitam anteactam recantent, quibus parum moventur audientes : colloquio plus detraxerunt, at in longiores aberrant narrationes et plerum-

[1] C. XXII.

que exspatiantur. Calor quidem apud eos frequentior, sed irritus sæpe et indecorus : circuitus innumeri viam dissimulant ; verentur semper ne quid indictum relinquant, ita ut, quod de singulari Cæsaris in agendo celeritate Lucanus,

Nil *actum* credens si quid superesset *agendum*[1],

equidem libenter, uno tantum mutato verbo, de eorum prava omnia explicandi consuetudine meminerim. Fabula quidem apud eos non unius eventus aut rei explanatio, sed quasi ætatis unius universam descriptionem amplectitur; quod sane rectum esset si inter multa, eminentissima quæque seligerent, quæ paucis plurima comprehendunt; at ætatem totam et res minutissimas affectant reddendas et omnes ejusdem ætatis viros quasi ingens in forum convocant : ab historia quam plurima possunt mutuantur, unde fit ut sæpe annalium caput potius quam fabellam vivam et gravem agnoscas : ideo quoque colloquia inter personas sæpe declamatoria videntur, in quibus nempe deprehendas non tam affectuum concertationem, aut duos viros acriter contendentes, quam utrumque pro parte sua, securum alterius, sæpissime audientes alloquentem ; inde quoque incredibilis quædam eventuum et spectaculi varietas. Fatigatur sæpe mens tam frequenter renovata rerum specie, et minus detinetur, præsertim quum non jam id voluerit scriptor ut animos permoveat, affectus accurate exprimendo, sed ut magis sensibus blandiatur turbida rerum externarum et sub oculos tantummodo cadentium repræsentatione. Si ejusdem sectæ lyrica poemata inspicias, invenies juxta sublimes aliquando spiritus et vividum hujusce rerum universitatis sensum et fervorem verum, longiora quædam et eamdem sententiam multis modis repetitam, et diffusam scribendi rationem, superfluentem et nullis, ut ita dicam, ripis coercitam

[1] *Phars.* lib. II, v. 657.

eloquentiam. Nempe hoc vitio pleraque ætatis nostræ opera laborant.

Postquam sic recensuit prioris ætatis vitia, ut vocat, et quæ delicatius ac subtilius recentiorum judicium vix toleraret, paucis verbis Aper novæ artis merita delineat et quibus rationibus obtusæ mentes possint oblectari : nempe necesse est acrioris aliquid et magis depicti accedat, necesse est omni modo percellantur hominum ingenia [1].

Nuda erat hactenus oratio; distinguatur nunc descriptionibus oportet, ut venis tori distinguuntur, quæ novitate sua et varietate detineant animum, imo, quæ ex operis summa possint facile excerpi. Ille hodiernis quoque temporibus floruit descriptionum et quasi picturarum amor, ita ut apud nos quemadmodum olim apud Romanos videretur ad *incertos oculos* migrasse

..... ab aure voluptas [2],

ita ut intimum pulchri sensum quasi exstinctum exceperit incredibilis quædam externarum rerum reverentia [3]. Pro vivide et argute expressis affectibus frigidam et tumidam templi, aut fluminis aut silvæ descriptionem reperiebas; eodem vitio, Trajano regnante, litteræ romanæ deformabantur.

Postulat quoque lumina illa orationis quibus turba percellatur, quæ referre domi et laudare possit; postulat sententiolas illas quæ acumine suo ani-

[1] « At Hercule pervulgatis jam omnibus... novis et exquisitis eloquentiæ itineribus opus est per quæ orator fastidium aurium effugiat. » C. XIX. — « Nisi (judex) aut colore sententiarum, aut nitore et cultu descriptionum invitatus et corruptus est, aversatur dicentem.... Jam vero juvenes.... referre domum aliquid illustre et dignum memoriæ volunt traduntque invicem sive sensus aliquis arguta et brevi sententia effulsit, sive locus exquisito cultu enituit. » C. XX.

[2] Horat. *Epist.* lib. II, I, v. 187.

[3] Hisce verbis eam animorum depressionem dolet et castigat vir inter nos clarissimus :

« Cette exactitude dans la représentation de l'objet animé est l'esprit de la littérature et des arts de notre temps ; elle annonce la décadence

mum pungant, expergefaciantque, et in oratione, ut colores in tela, superemineant; hoc ad illius temporis mores prorsus pertinet. Tunc enim, jam a publicis curis remota multitudo non nisi in foro se relaxabat; deficientibusque causis, quarum magnitudine et gravitate retineretur, necesse erat eam falsis ornamentis et orationis deliciis festivitatibusque captari. Antiquis forensibus certaminibus successerat umbratilis eloquentia, quæ ludebat magis quam decertabat et concinnas magis quam probabiles sententias insectabatur; flosculos illos quos docta posteritas repudiat, vulgus appetebat; sordet igitur Apro quam non hujusmodi ornamenta decorent oratio, quibus jam lassatus lector oblectetur.

Poeticum quoque decorem idem optat orationi immisceri, ut hoc ornatu, quasi stellis quibusdam reliqui operis umbræ illustrentur; palamque profitetur, hoc ipso æqualibus suis famam et gloriam venisse. « Sic nostrorum oratorum ætas pulchrior et ornatior exstitit, neque ideo minus efficaces sunt orationes nostræ quæ ad aures judicantium cum voluptate perveniunt; quid enim, si infirmiora horum temporum templa credas quia non rudi cæmento et informibus tegulis exstruuntur, sed marmore nitent et auro radiantur[1]? » Sane dicendi illud genus quod grave est et severum, omni alieno ornamento destitutum, non callidis verborum juncturis sententiarumque subtilitate, sed rerum pondere admirandum, eloquentia illa, quæ veluti *mole sua stat*, depravatis judiciis

de la poésie et du haut drame. On se contente de petites beautés quand on est impuissant aux grandes, on imite (à tromper l'œil) des fauteuils et du velours quand on ne peut plus peindre la physionomie de l'homme assis sur ce velours et dans ces fauteuils. Cependant, une fois descendu à cette forme matérielle, on se trouve forcé de la reproduire, car le public matérialisé lui-même l'exige. » (Chateaubriand, *Essais sur la litt. angl.*, édit. Pourrat, p. 245.) — Eumdem descriptionum furorem in litteris romanis jam inclinantibus deprehendi optime demonstrat Nisard. (*Poëtes de la décadence*, vol. I.)

[1] C. xx.

displicebat; magna illa et antiqua simplicitate lassata ingenia facetius aliquid et lepidius poscebant, quod *radiaret et niteret*. Ergo a poetis mutuabantur et verba et lumina quæ, etsi peculiari materiæ vix congruebant, ex optimorum vatum *sacrario prolata* homines valde juvabant. Sic et apud nos poeticus cultus ac nitor non infeliciter solutum sermonem invasit et, auspice illo egregio et faceto scriptore, qui tam ornate et eleganter primus americanos mores depinxit, disjecti membra poetæ in orationem inserta sunt. Fuit aliquandiu et aliquot annos viguit illa consuetudo, res olim dissociabiles, pedestrem et poeticum sermonem miscendi, et nostra ut Fenelonis ætate, epica poemata scripta sunt verborum concinnitate et sententiarum suavitate, citra numeri usum, veram ad poesin accedentia.

§ 6.

Licet nunc nobis antiquam et novam disciplinam sive artem ac scribendi rationem, æquo animo intueri et distinguere: altera quidem pulchritudinem præcise circumscribit; apud eam vivida rerum adumbratio viget et rigide delineati tori; statuariam dicas artem, ad ultimum fastigium evectam: altera autem, profitetur se, apud recentiores præsertim, ad ea tantum quæ animi oculis cernuntur spectare; tum aligera vatis mens supra has terrenas sordes tollitur; imprimis vincula, quæ jungunt inanimata cum animatis, quærit: uno verbo, ita πλαστικὴ apud veterum fautores, ut apud nostros novatores musice in honore est[1].

Quod optime intelligetur si hortos respicias quos *Anglicos* vocant, et cum *Le Nostri* hortis conferas;

[1] Varie de hoc varii disseruerunt scriptores : conf. de Staël, *Allemagne*, v. I, IIe partie, ch. IX. — Victor Hugo, préface de *Cromwell*. — Spach, *Encyclopédie des gens du monde*, in voce *Classique*. — Tissot, *Dictionnaire de la conversation*, in voc. *Classique; Romantique*. — Joseph Hildebrandt, *Die deutsche National-Litteratur seit Lessing bis auf die*

hos norma certissima et radius flecti nescius gubernat : illi saltus habent nullo limite, nulla mensura descriptos, aquas in prata insinuantes, tuguria inter herbas disseminata, soli inæqualitatem oculis gratissimam et agrestes campestresque situs : varia omnia et infinita ; ita novatorum poesis omni fine destitui optat et hanc demum pulchritudinem vocat si nullis finibus circumscribatur.

Eadem sentias, si antiquorum, Græcorum imprimis, architecturam cum *gothica* contuleris : illa recta est, circumcisa, et justis lineis circumscripta, hæc libidini potius quam normæ inserviens, lapidem in omnia genera secat velut audaces spiritus in marmora transferens [1].

Apud Gallos, septimodecimo sæculo, regia auctoritas etiam in litteris ita prævaluit, ut, republica pacata, ipsæ litteræ facile ad normam quamdam revocatæ sint. Vix a græcis et latinis exemplaribus deflexum est : nec tantum præcepta eorum acceperunt, verum etiam severiora effecerunt. Compressa autem his vinculis ingenia, mox in contrarium eruperunt et transgressa regulas illas angustiores, quibus aliquando coarctantur, alio pulchritudinem et quæsiverunt et invenerunt ; mundum adeo varium conati sunt universum complecti, et ex repugnantibus harmoniam elicere, quam quidem aliquando assecuti sunt. Idem apud Romanos, sub imperatoribus, susceptum minus feliciter cessit : cujus rebellantis sectæ interpres et novatorum dux Tacitus, sub Apri nomine latens, veterum artem et eloquentiam carpit, Ciceronis ipsius iniquus æstimator. Nempe omnia illa quæ nos nuper recensuimus, descriptiones scilicet, poeticus decor, color, pressa, stricta et circumcisa oratio, hæc omnia apud Tacitum abundant. Ergo causam suam agit, et quum

Gegenwart. (*Dritter Theil,* S. 202-228. Gothæ, 1846.) — *Revue des Deux-Mondes,* p. 61, octobre 1841.

[1] V. Sainte-Beuve, *Histoire de la poésie française au* XVIe *siècle,* t. II, p. 368, ed. in-8.

juxta *oratoriam supellectilem quæ necessariis usibus sufficiat, apparatum* quoque et *gemmas* et *aurum* poscit[1], *Annalium* auctorem agnoscas : quum *rubiginem* effugiendam prædicat et novitatem super omnia laudat, agnosces qui apud nos dicebant :

Il nous faut du nouveau, n'en fût-il plus au monde.

Quum *insulsam scurilitatem* vituperat, recordaberis gravem ac severam illam *Historiarum* orationem quæ ubique legentem edocet et illuminat, a vitio revocat et virtutis amore incendit.

CAPUT II.

§ 1.

Nunc autem quum suam sententiam suamque veluti disciplinam Aper defenderit, adversam aggressurus est et altius rem perscrutabitur.

Eamdem causam acturus est ac prius, idque minus propriam tuendo quam contrariam insectando. Neque enim sufficit ei novæ artis necessitatem demonstrasse et prædicasse, nisi quoque veterem artem destruat jam prioribus ratiocinamentis concussam. Movet, ut ait, illa litterarum disciplina aut *risum* aut *soporem*[2]. Importuna esse fatetur robustioribus recentis ævi ingeniis tenuia illa et laxa et jejuna veterum scriptorum opera[3]; nunc autem quum longo gentium omnium commercio hominum societas jam perpolita sit, posci artem vel potius eloquentiam altiorem et venustio-

[1] C. XXII.
[2] C. XXI.
[3] C. XXI.

rem, qua jucundius et vividius detineamur. « Oratio enim, inquit, sicut corpus hominis, ea demum pulchra est in qua non eminent venæ, nec ossa numerantur, sed temperatus ac bonus sanguis implet membra et exsurgit toris, ipsosque nervos rubor tegit et decor commendat[1]. »

Quod ad nos (absit verbis invidia), coloris illam inopiam, *maciem* et *jejunium*[2] sermonis, quæ Aper antiquis oratoribus vitio vertit, nihil aliud esse censemus, si rem vere æstimare velis, nisi quamdam affectus humanos movendi inscitiam, affectus dico, quibus callide expressis, nescio quid magis vividi, prærupti et inopini orationi accedit. Præcipue id, nostris temporibus, novatores septimidecimi sæculi scriptoribus crimini dederunt ; nomina tantummodo, non res ac lites mutantur. Doluerunt nempe vim et altitudinem illam quæ ex intimi animi sensibus et naturalium rerum amore et commercio in orationem redundare solet, illis defuisse. Nec perperam, ut opinor, hoc objectum est. Nam septimodecimo sæculo splendor ingens fuit litterarum et fastigium prope suum attigerunt, nec tamen secretas pectoris humani sollicitudines et impetus satis tunc homines novere. Illa enim ætate, eloquentia major quam poesis exstitit, ingenii plures conatus quam sponte effluens vena : tam magnum fuit artificium ut mansura erigeret monumenta ! Neque tamen scriptores altius in semetipsos ingrediebantur ; neque in naturam externam refluebant, neque extremas animi latebras exploravere ; neque in anima destitutum mundum impetus suos emiserunt, neque in illos gemitus aut clamores eruperunt qui omnem scriptoris vitam denuntiant ; neque lyricis suis carminibus omnia circumstantia amplexi sunt, ut eis vitam et motum inspirarent. Verum, gallicum ingenium, securum sui ac certum, juventutis jam fervore et spi-

[1] C. XXI.
[2] C. XXI, XXIII.

ritu carens, bacchantium furoris expers, nec tamen unquam seniliter inclinans, firma manu solida illa et recta opera struebat, ingentia aliquando et majestate plena, nunquam interitura. Itaque non asseram deesse hujus ævi litteris affectus, at etiam quum sublimi volatu sese erigit, artificiosi nimis aliquid inesse, ac nimis politi.

Id contendere jam ausim : viri illi tam alti ingenii non satis omnes humani animi vias et tramites investigarant ut illas industrie describerent ; magni hi artifices non satis intus experti erant anxietatem et sollicitudinem quam, diversis temporibus, nos experti sumus. Jam vero illis temporibus, adeo ipsi eloquio studebant, tam diligenter verbis ac vocabulis hærebant, tam artificiose opus quodlibet cælabant, ut interdum cura rerum et cogitationum elangueret : viriliter quidem plerumque cogitabant, inerat masculum quiddam et firmum in mentibus, sed simul magis præcisum atque descriptum. Nos oportebat pluribus jactari tempestatibus, sæpius rerum publicarum turbine contortos fuisse ut in externa ardentius erumperemus, ut in universa natura testes nostri gaudii aut luctus quæreremus, ut viam permitteremus his inopinis impetibus, his conatibus, his animi lusibus, unde fit ut naturam universam nostræ naturæ, nostris vocibus consentire opinemur. Adde quod, ea ætate adeo christianæ fidei addicta, religiosum existimassent homines quidquam in eis, quæ extra sunt, spectare, quod homini, ad Dei similitudinem creato, commune videretur, et societatem inire cum inanimatis : formidabatur impura illa communio ; mortua natura nequibat aliquid sui communicare cum animo vivente, vegeto ac divino ; silvæ quidem et lacus, cœlum et montes aliquando vim excogitandi movebant, nunquam, aut fere nunquam pectus : lepidas descriptiones, facetasque narrationes, tabulas delicate pictas et artificiose elaboratas proferre poterant ; nunquam aut fere nunquam externa illa scri-

ptoris animum inflammarunt, nunquam rationem ejus ebriam effecerunt et tumultuantem, nunquam inspirarunt ei mirandos illos impetus ubi homo, suæ conditionis immemor, suæ mortalitatis vix conscius, reviviscere videtur in omnibus quæ circumstant[1].

Et hoc quidem poeticæ genus adeo vastum et amplum est ut omni lege atque omni proposito carere videatur. Attamen in hoc quoque, magni aliquid et nobilis inest :

Fieri potest ut nihil suæ dignitatis homo amittat inanimatam illam naturam ad se usque evehendo : apprime novit fore se semper ceteris superiorem, semper, ut ita dicam, regem, qui in hanc rerum universitatem dominetur, seque ipsum, utpote ratione et pectore æque constantem, eo collocatum esse ubi, inter creata, nullum juxta se assideat : novit se, quum propriam vitam cum vicinis animalibus communicet, tamen mente, cogitatione altius longe efferri. Sed naturam vult intelligere et omnibus his quibus circumdatur suam significationem tribuere, eorum vincula et fœdera statuere et creaturam omnem ad Deum concelebrandum vocare; neque affirmare ausim, id omnino tutum esse et neutiquam periculum occurrere; fore autem credo aliquando ut animus noster, in media illa exterioris naturæ silva aberret et ipsam hanc naturam vel Deo adæquandi et ad Deum erigendi discrimen adeat, cæca prorsus insania quæ mentem pessumdet et hominem deprimat! Non magis inficias ibo, quod ad artem ipsam spectat, ut jam de morum disciplina taceam, hujusmodi insania gigni carmina aut pedestrem sermonem quæ vix intelligantur. Si omnia vult arcana penetrare et investigare prorsus artifex aberrat : adeo vasta spatia complectitur ut vix oculus quidquam aspiciat : et, in infinito illo naturæ labyrintho, quum amittat filum viæ index, jam deest quod vim cogitandi moderetur

[1] In illa animi cum exteriore natura intima communione et societate omnia fere recentioris hujus ævi poetarum opera constant.

coerceatque. At si vera sunt hujusmodi pericula, id æque verum est, nempe naturæ sensum per se prorsus valere ut incalescamus, ut illuminemur, verum inde inspirari animo ardorem, eumque interdum in subliminiores auras abripi, inde quoque et ipsius orationis severitatem vividiore præsentis vitæ sensu et spiritu sæpe temperari.

§ 2.

Quæ omnia, etsi hominibus Tacito æqualibus, minus clare apparebant, tamen ille præsentiebat. Etenim idem fere apud eum, qui apud nos, animorum et rerum publicarum status. Licet antiqui Romæ scriptores non placida civitate et pacatis rebus floruerint, sæpiusque civilium bellorum strepitu ipsæ philosophorum et doctorum sedes concussæ fuerint, tamen plurimum interest inter triumvirorum proscriptiones, atroces sane, sed breves, et longam illam seriem imperatorum quorum pauci innocui, quique velut deterrima pestis publicis cervicibus incumbentes vitiorum fautores et omnibus virtutibus infensi, quotidianis flagitiis atque cædibus Urbem polluerunt exhauseruntque. Viderat ille hæc omnia : viderat perturbatas res publicas et privatas [1]; viderat, ut nostrates [2], inclinantem jam deorum fidem, religiones ac

[1] « Opus aggredior opimum casibus, atrox prœliis, discors seditionibus, ipsa etiam pace sævum. Quatuor principes ferro interempti. Trina bella civilia, plura externa ac plerumque permixta. . . . . .
. . . .
Jam vero Italia novis cladibus vel post longam sæculorum seriem repetitis. . . . . pollutæ cæremoniæ, magna adulteria; plenum exsiliis mare. . . . . nobilitas, opes, omissi gestique honores pro crimine et ob virtutes certissimum exitium, nec minus præmia delatorum invisa quam scelera; quum alii sacerdotia et consulatus ut spolia adepti, procurationes alii et interiorem potentiam, agerent, ferrent cuncta, odio et terrore corrupti in dominos servi, in patronos liberti, et quibus deerat inimicus, per amicos oppressi. » (*Histor.* lib. I, c. II.)

[2] Oh! surtout dans ces jours où tout s'en va croulant

ritus, animusque ejus tot curis agitatus, tam cruentis aut saltem variis spectaculis perculsus, veterum scriptorum, ut ita dicam, placiditatem non tolerabat; et quod ipse in operibus suis tam audacter ac feliciter conatus est, a ceteris quoque poscebat, vim scilicet, colorem et concitationem. Ideo nihil mirandum si tria aut quatuor præcipue vitia veterum fautoribus objiciat :

Simplicitatem nempe nimis vulgarem sine *nitore* et *altitudine*, *sensus inconditos*, et *sordes verborum*, id est elocutionem nimis tritam et obviam, vocabula nec satis exquisita, nec satis alte penetrantia; quæ quomodo *Annalium* scriptori placuissent?

Id curat contra ut prærupta oratione et secta et fere semper eminenti, animum minus mulceat quam percellat. Sic, apud nos, Racinii mellifluum sermonem aspernati sunt; superbius credo et insolentius, non tamen omnino perperam, quum aliquando desit huic sermoni spiritus et vis; vis, inquam, quæ excitet jam sopitam lassati lectoris attentionem, et acuat orationis deliciis jam satiatum animum : quanquam, ut Aper erga Ciceronem et ceteros oratores, ita et nostrates erga Racinium et ejus æquævos quam graviter, quam cæce deliquerunt! Idem ille Aper qui in *rotam Fortunæ* et *esse videatur*[1], et alia hujuscemodi ornamenta tam acriter invehitur, vix meminit consummatam illam esse eloquentiam quam singuli singulis tantum ætatibus consequi potuere.

Magis sane excusandus est Aper quum compositio-

.... où l'on n'a plus
Qu'un livre déchiré, qu'une nuit ténébreuse,
Qu'une pensée en proie au gouffre qui se creuse.
. . . .
Oh! comme avec terreur, pilotes en détresse,
Nous nous apercevons qu'il nous manque la foi,
La foi, ce pur flambeau qui rassure l'effroi.
Le doute.....
C'est notre mal à nous, enfants des passions,
A nous dont le berceau risqué sur un abîme,
Vogue sur le flot noir des révolutions.
Victor Hugo, *Voix intérieures*, XXVIII.

[1] C. XXIII.

nem disjunctam et solutam *hiantemque*[1] reprehendit; hoc veteres sæpius peccarunt. Sæpius in Tullii orationibus male cohærentes inter se partes agnoscas; sæpius in Titi Livii narrationibus idem vitium deprehenditur. Quod quidem nostrates novatores nequaquam septimidecimi sæculi scriptoribus objecere; erat enim hujus ætatis dicendi genus arctius potius quam laxius, et semper certis regulis obnoxium.

Nota est regula *trium*, ut aiunt, *unitatum;* tunc enim fabulæ et dramata nimis artem redolent; novatores autem potius ingenio habenas permittunt et vinculorum metu, frenum sæpe saluberrimum abjiciunt; longas errant per ambages, digrediuntur ab ipsa re, ita ut contrarium omnino sit vitium; Taciti ætate novatores arctius rem comprehendebant, imprimis verborum et rerum compressione breves; quid ipsius nostri operibus adstrictius ac severius potest excogitari?

Jam Apri argumentationem enucleasse arbitramur, et quid quodque valeat argumentum significasse; unum volumus nobis concessum, fervidam illam disputandi rationem, Tacitum declarare, imo Tacitum esse qui Apri nomine loquatur. Postquam Messalæ responsum audierimus, expediemus quomodo Apri partes sint intelligendæ, et qui fieri possit ut quem Apri personam induentem ostendimus, idem Messalæ non repugnet; quid hinc deducendum sit, utra pars propius ad verum accedat.

[1] C. xxi.

CAPUT III.

§ 1.

Veterem eloquentiam Messala tuendam suscipit, non ut æquam novæ, sed ut *eminentiorem*[1], susceptumque suum felicioribus argumentis quam qui, nostris temporibus, eumdem finem sunt persecuti, defendit.

Esse cujusque aureæ ætatis scriptoribus *similitudinem quamdam judicii* et *cognationem*, licet alius ab alio differat, imprimis contendit.

Non inficiandum est, ætatem quamque suum habere quasi colorem, et omnibus unius ætatis scriptoribus inesse nescio quid cognationis; sic Augusti, sic Ludovici quartidecimi sæculo propria fuit species et forma. Disseratur ergo utrum sint necne antiqui, dummodo bonos scriptores ac oratores a malis secernas, et bonos omnes inter majores annumeres. Etsi diversa sit, non modo inter varia sæcula, sed etiam in uno eodemque sæculo, eloquentiæ forma, nec unum ad exemplar, idem semper ac mutari nescium, animus informetur, stat tamen una, quasi in medio posita eximiæ pulchritudinis effigies, quam scriptor quisque, alio in loco collocatus, aliam intuetur; clarissimus inter nos philosophus[2], pulchritudinem definivit, quod *unum est in varietate*, illud nempe significans, duplicem hanc esse et humani animi et rerum naturæ legem, alteram ut divortia fiant quam plurima ingenii nostri et quasi multiplicetur, alteram ut varii illi tramites quasi in unam viam coeant.

[1] *Dial.* c. xxv.
[2] Vid. Jouffroy, *Cours d'esthétique*, leçons XIV, XV.

Idem dixerim de sæculo quoque: diversa sunt genera scribentium, diversis ad scribendum affectibus accedunt; at prope inconsulti in quamdam simplicitatis legem impelluntur et coordinantur. Quod ad rem ipsam pertinet, haud immerito Romani illos oratores ac poetas, qui centum annis ante ad id fastigii litteras romanas evexerant, *veteres* nominabant, quorum quidem disparia ingenia, par autem propositum fuit; ut cantus et musicæ sunt eædem normæ quamvis unicuilibet canere non liceat ultra quemdam illi concessum vocis et solertiæ modum, sic judicii normæ universæ sunt, utpote nobis natura insitæ, quæ ubique eadem est; quas tamen unusquisque, pro viribus tantum suis et voluntate observat.

§ 2.

Ceterum parvi momenti est hoc certamen; aliud paulo gravius hisce verbis dirimit Messala : malle se *impetum et maturitatem*, *quam calamistros*, *tinnitus*, *fucatas et meretricias vestes*[1].

Quidnam hic *impetus* et *maturitas* significant, nisi gravem illam orationem scriptoris bene sui compotis? Livii historias verum hujusce dictionis specimen habemus; hic verbum quodlibet selectum est et exquisitum; narrationes puræ, omnia apud eum « *quum rebus tum personis accommodata*[2]. » Ne illam laudemus orationem quæ meretricio cultu adulterata et quasi libidinibus suis inserviens, mentes enervet et emolliat, quæ inaniter tinniat auribus[3]; sed quæ utilia det præcepta, et decenti cultu ornata animos et roboret et erigat, quæ veluti sanctitatem et castitatem et virilitatem præ se ferat. Hujusmodi fere est ipsius Taciti dicendi genus, tam concitatum, ut ait Tho-

[1] C. xxvi.
[2] Quint. *Inst. orat.* X, c. 1.
[3] Conf. Sen. *Epist.* cxiv.

masius noster[1], quam animi motus, quod ad unum affectum exprimendum plurimis verbis nunquam utatur, cujus sonus quilibet multas res exprimat, nullo supervacuo signo, nullo inani comitatu, cogitationibusque animum impleat non oneret, sententiis potius quam verbis abundet.

Hæc est vera ingenii maturitas, quam unus inter æquales suos Tacitus assecutus est; cetera verba *calamistri*, *tinnitus*, etc. quam merito reliquis hujusce temporis scriptoribus objicias! Morum corruptelam corruptela sermonis et judicii secuta erat[2]; amicus ille Taciti Plinius, Ciceronis imitator, non æmulus, faceti ingenii vir, nihil nisi acumen ingenii ostendit et eo ipso fastidium movet; desideratur apud eum nativus ille Ciceronis decor et abundantia[3]; in panegyrico Trajani insulsam laudationem facetiis non semper felicibus ornavit; epistolæ ejus semper scriptorem produnt neque tam ad æquales ejus quam ad posteros scriptæ videntur. Senecam, utpote in verborum delectu non satis diligentem reprehendit Quintilianus[4] facilis prorsus judex; severior et justior Rollinus noster, muliebria pigmenta illi vitio vertit et alienam a recta et sana ratione dicendi orationem[5]. Sensus apud eum minuti sunt et fracti, subsiliens sermo et sæpe inanis; in libro de Beneficiis, exempli gratia,

[1] *Éloges*, I[re] partie, c. xv.

[2] Conf. Cic. *Brut.* c. xiii. — Quintilian., l. XII, c. x, xvi. — Senec. *Epist.* cxiv. — Senec. *Controv.* lib. I in præf.

[3] La Harpe, *Lycée*, t. III, p. 161, édit. Lacoste, 1813. « Ce n'est plus, comme dans Cicéron, ce ton naturellement noble et élevé, cette abondance facile et entraînante, ce tissu où tout se tient et se développe ; c'est un amas de brillants, une multitude d'étincelles, qui plaît beaucoup pendant un moment, qui excite même une sorte d'admiration ou d'éblouissement, mais dont on est bientôt étourdi. » — In eumdem fere modum de Plinio disserit vir doctus, Schœll, *Hist. abrégée de la litt. romaine*, t. II, p. 408, et seq. Paris, 1815.

[4] « Nam si qua contempsisset, si parum non concupisset, si non omnia sua amasset. . . . . consensu potius eruditorum quam puerorum amore comprobaretur. . . . . eligere modo cura sit quod utinam ipse fecisset. » *Institut. orat.* X, c. i.

[5] *Traité des Études*, lib. IV, iii.

eamdem cogitationem, nulla re addita, ter quaterque tractat et retractat; in Quæstionibus naturalibus ludit flosculis ac sententiolis distincta oratio, ita ut res apud eum et sententiæ verbis inserviant[1]. Illi autem clarissimi sunt et optimi[2]; quid vero de reliquis? quid de tot poetis nullum, ut aiunt, unquam numen propius expertis, syllabas tantummodo in numerum et versus includentibus, scriptoribus qui semper *stylum*, perraro cogitationem exercent et auribus potius quam animo[3] placere conantur?

In hos Messala jure invehitur : *histrionale* est sic verbis *lascivire* et cogitationem in hasce nugas deducere, sententias componere in modum ludentis, et orationem omni vento permittere; *saltatores* hos vocat Tacitus[4] et *cantatores*[5].

Simile nobis exemplar dederunt non modo novatorum vulgus et infima plebs; non modo leves illi et incallidi nascentium disciplinarum fautores, qui, omnia scribendi et dicendi genera et formas alia cum aliis confundentes, numeris adstrictum ac solutum sermonem quasi miscuerunt, cælaturam et architecturam in orationem intruserunt; sed etiam ipsius sectæ principes, viri elato et gravi ingenio, quorum unus, duobus aut tribus syllabis versus componebat aut etiam stantes pede in uno, aut omnes similiter definitos et similiter consonantes.

Nunc jam maturioribus judiciis sordent illa ludicra, quæ post Tacitum magis atque magis ingruerant;

[1] « Optime de Seneca dici potest quod illius pater de quodam oratore sui temporis ingeniose dixit : « Habet hoc Montanus vitium, sententias suas repetendo corrumpit : dum non est contentus unam rem semel bene dixisse, efficit ne bene dixerit. » *Controv.* v, lib. IX.

[2] Unus excipiendus Quintilianus, tum ob judicii quum ob orationis sanitatem optime de posteris meritus.

[3] Vid. Valer. Flac. in *Achill.* passim; Silium Italicum, in *Bellis punicis*; — Statium, *Silv.* passim.

[4] *Dial.* c. XXVI.

[5] Quare oratio quæris aliquando infracta sit, et in morem cantici ducta? (Senec. *Epist.*, CXIV.) — « Quotidie magis lascivimus syntonorum modis saltitantes. » (Quint., lib. IX, IV.)

Etenim apud Ausonium[1], ut unum e multis nominem, inclinant simul et poesis et sermo et sana ratio; periculum jam imminens denuntiat Messala et recte quidem denuntiat.

§ 3.

Cui tamen minus assentiendum arbitror asseveranti difficile esse his, quos contemnunt, veteribus novos scriptores objicere qui exemplaria dici possunt et proponi[2]. Illud autem commune est temporibus omnibus ubi renovatur dicendi genus : quoties, uno dicendi genere diu circumscripta vis ingenii, subito, quasi fractis vinculis, in libertatem erumpit, tunc licentius animi in omnes se vias immittunt, et litteræ instaurantur, et hinc exoriuntur conatus potius quam opera, incepti potius, quam perfecti libri. Tunc unusquisque iter suum quærit; quum sacrosanctæ hactenus leges jacent humi aut contemptæ aut neglectæ, difficile est, inter tantam rerum perturbationem et quasi tumultum, opus exsurgere omni arte elaboratum et omni de parte exactum; splendida quædam potius quam pulchra opera invenias[3].

Alia sane litterarum conditio in quietis illis ac florentibus sæculis, ubi norma viget quæ mentibus et manibus imperet. Scilicet græca ars id imprimis laudis habet, quod, in quolibet genere, opera reliquit

[1] Conf. Ausonii *Opera*. Epist. epigr. passim.
[2] C. xxvi.
[3] A nobis stat eadem fere sentiens criticus magnæ sane eruditionis et acutissimi judicii : « L'ensemble ! l'effet de l'ensemble ! voilà ce à quoi ne pensent pas assez nos poëtes, et c'est là précisément la grande infériorité des œuvres d'aujourd'hui, même les plus brillantes, en regard des chefs-d'œuvre du passé. On a le talent, l'exécution, une riche palette aux couleurs incomparables, un orchestre aux cent bouches sonores ; mais au lieu de soumettre tous ces moyens et, si j'ose dire, tout ce merveilleux attirail à une pensée, à un sentiment sacré, harmonieux, et qui tienne l'archet d'or, on détrône l'esprit souverain, et c'est l'attirail qui mène. » — (Sainte-Beuve, *Critiques et Portraits,* t. V, p. 529.)

absoluta; hanc architecturæ et picturæ, hanc poeticæ, hanc soluto sermoni legem imposuit. Sic, in nostro septimo decimo sæculo, præcavebatur ante omnia ne quid in operibus penderet interruptum, aut in eis deprehenderetur aliquid incomptum aut incastigatum, ita ut, hujus ætatis nullum fere non ad unguem politum opus invenias : contra, nostris temporibus, haud semel accidit, legentis videlicet animum excitandi causa, ut incideres in librum aliquem de industria quasi hiantem. Hodierno autem tempore, vix opus ullum, etiam e clarissimis, reperire est in quo non sit quod jure reprehendas; fragmenta omnigena, pulcherrimos locos, nihil omnino perfecti invenies. Alius par operis summæ, in singulis errabit peccabitque; alius in exprimendis affectibus peritus, rudem tibi offeret textum orationis, et opera inverso stylo non correcta; alius deridenda sublimibus miscebit, tenuia ingentibus. Itaque quum veterum fautores veteres suos magistros semper præsto habeant, novatores speciminibus careant, semper illa inopia posterioribus opprobrio vertitur. Quanquam nihil in eo inest quod litem dirimat : etenim non decem aut viginti annis, sed duorum aut trium sæculorum intervallo continentur litterarum illæ conversiones; novum informatur orationis genus, novis moribus accommodatum; et viri illi signiferi litterarum, non nisi longo tempore a natura quasi præparati apparent.

Messalæ ergo illud argumentum, etsi tunc temporis valuit, apud nos minus habet auctoritatis; tunc enim etiam fragmenta pulchra deerant in litteris, in nostro plurima et illustria cernas.

§ 4.

Incepto suo insistit Messala et degeneratæ eloquentiæ causas expromit : quæ quidem ille suis æquævis, nos nostris libenter objiciemus crimina :

Dolet nempe æquales suos orationis casum maturare, ingenia non excolendo, neque satis quotidiana meditatione exercendo. « Nunc enim, inquit, nec in auctoribus cognoscendis, nec evolvenda antiquitate, nec in notitia vel rerum vel hominum satis operæ insumitur[1]. » Neque id perperam; quippe, fatiscentibus litteris, duo illa occurrunt incommoda æque disciplinis ac bonis artibus importuna : aut auctores antiqui assidua, perpetua conversatione quasi memoriter ediscuntur et ea admiratione imperiti successores magistros illos suos prosequuntur, eo humilius *vestigia* eorum *adorant* et insistunt præceptis, ut imitatio fiat minus quam fida propositi exempli imago, ut etiam mendas et quodlibet apud eos imperfectum sit[2] sibi adjudicent; aut longe aliam ingressi viam, magisterium illud aspernantur, necessarium illud tirocinium velut molestum onus excutiunt et veterum opera præsentium operum nugis posthabent. Inde fit ut, ignorantia eorum quæ jam scripta sunt, jam tractata retractent, et semper novi quidquam semet gignere arbitrentur.

Horum duorum incommodorum solet, quod prius memoravi, prius reapse deprehendi : apud Romanos quidem utrumque simul litteris offecit, ad extremum vero servilis dominata est veterum imitatio.

Apud nos autem quum refracta sunt, sexaginta abhinc annis, diu compressa animorum vincula, quumque præteriti temporis instituta et mores increpare et infamare in consuetudinem vertisset (res sane miranda), veterum litterarum disciplina sola inter tot rudera stetit intacta, imo, stolida et præpostera prioris sæculi reverentia quædam exorta est, ita ut, regnante Napoleone, tragœdias scriberent Ludovici quartidecimi ætatis more[3], non modo antiquitatem

[1] *Dialog.* c. xxx.
[2] Conf. Senec. *Epist.* cxiv.
[3] Conf. La Harpe, *Théâtre.* — Marie-Joseph Chénier, *Théâtre.* —

evolverunt, sed heroas illos præcedentis ævi quasi alteram antiquitatem adoraverunt. Sicut ille *Le Bossu*[1], collatis præcipuis veterum epicis poematibus, hinc quasi carminum epicorum regulam deprompsit, quam quidem constare existimavit si Tempestas, Scutum, et Inferi, aliaque de genere hoc, ornate describerentur et inter se coordinarentur; haud aliter fabulas et *dramata* ita constare opinati sunt, si narrationum, et somniorum quemdam numerum, versibus et quinque actibus includerent; artem denique iis circumscripsere præceptiuncularum angustiis, quibus ingenii alæ coercerentur. Paulo post, quum deridenda illinc evasisset imitatio, invehi cœptum est in illas ineptias; nec satis esse visum novatoribus, servilem illam imitationem repudiare, jurantes *in verba magistri* deludere; a stolidis discipulis ad claros magistros contemptum suum transtulerunt, et sermonis gallici principes momorderunt, se illos ignorare prædicarunt simul et affectaverunt, ita ut in usum prope abierit, illos dedignari. Felicissima ingenia depravavit illa ignorantia; jam magistris repudiatis regularum oblivio secuta est. *Trium unitatum* regula importuna erat, et ingenii sublimes volatus cohibere dicebatur[2]: non satis fuit eam elevare, et, ex tribus unam nodi et actionis *unitatem* retinere; *dramata* scripta sunt quasi adversus hanc regulam et citra omnia præcepta. Abusi erant veteres dialogo, recentiores μονολογίας plurimas cuique fabulæ inseruerunt; sic verisimilitudinem quam a veteribus violatam clamaverant, ipsi alio modo et gravius etiam violaverant.

Habuit et suum fatum iste furor; mox enim cachinnis explosus est.

Marmontel, *Théâtre*, etc. etc. — Vid. Bernard Julien, *Histoire de la poésie française à l'époque impériale*, t. II, p. 203-299.

[1] *Traité sur le poëme épique.*

[2] Victor Hugo, préface de *Cromwell*. — Sainte-Beuve, *Seizième siècle*, passim. — Alf. de Vigny, préface de *Chatterton*, etc.

§ 5.

Neglecto antiquitatis amore, quis dubitet quin mox antiquæ orationis studium elanguescat. Novæ tunc loquendi et meditandi rationes ab hominibus quæruntur. In utrumque pariter invehitur Messala : dolet nempe vitia *quotidiani sermonis fœda ac pudenda*[1] in operibus æqualium suorum deprehendi; solet hoc indicium corruptelæ certissimum dari. Neque enim difficile est discernere quodnam discrimen adeat lingua quum, bonos, honestos, exquisitos affectus mali et inhonesti excipiunt; vulgares limites perfringuntur et puram hactenus impura, tersam orationem incompta invadit oratio : limo jam limpida aqua corrumpitur. Duplex quippe periculum est æque declinandum : nunc, humanioribus litterarum ætatibus, nimis caute ac diligenter verborum curæ inserviunt scriptores; nihil tunc admittitur nisi quod severissime fuerit castigatum, quod sententiam nullam afferat moribus aut judiciis molestam, nihil quod aures aliquantulum offendat, quod non argute sonet et cadat numerose. Sane illa habita cautione, delectus et tersus sermo potest informari ; verendum est autem ne nimis vocum delectui inserviendo, oratio ab affectuum veritate discedat, et pro cogitationibus inanes tantum soni edantur[2]. Fit sæpe ut illinc nescio quis putidus sermo evadat paucis tantummodo intelligendus, ceteris clausus. Vidit septima decima, apud nos, ætas istius modi artificia ut vix aliquid oratio significaret et optimi sensus excluderentur; quam insaniam Molerius[3] derisit, quæ cachinnis melius quam argumentis vincitur.

Nunc autem, postquam fatigantur homines cultu

[1] C. XXXIII.

[2] Jam ipse Fenelo tale periculum a patrio sermone arcere conatur et de hoc eleganter disserit. *Lettre à l'Académie française*, chap. III, passim; chap. V, passim.

[3] Vid. *Les Précieuses ridicules; — Les Femmes savantes.*

nimio ac luxu, satiataque fatiscunt ingenia, oratio illa quæ nimis castigata est et veluti in angustiis inclusa fuit, claustra illa, ut ita dicam, refringere conatur, et nova placendi itinera quærit, sordentia adsciscendo verba et vocabula a plebe mutuando. Tum nihil lætius est quam si depingatur sermo verbis obsoletis ac tritis, si pugnantia inter se connectantur, si atrox et impexa vox aut inhonesta etiam inseratur. Verba quoque in insolitum modum ordinantur, clausulæ fiunt singulares prorsus et miræ verborum conglutinationes. Sensimus hoc nuperrime, et *dramata* obversantur nobis ubi proprium semper verbum collocabatur, id est, fœdum ac fœdi sæpe sensus. Meminimus imagines illas e communi vita, sive potius ex infima excerptas, quas audire etiam nefas fuisset, ita ut, mehercule, jam prope inversus fuerit ille Bollæi versus :

Ce qu'on ne doit point voir, qu'un récit nous l'expose[1].

Maluissent nempe spectatores rem ipsam oculis suis subjici quam tam fœde enuntiari.

Horum duorum incommodorum alterum quidem apparet litteris exorientibus, alterum inclinantibus. Alterum debilitat enervatque orationem, et nostræ imprimis linguæ gallici salis et acuminis vim detraxit; alterum depravat, et quum vitæ consuetudinem repræsentare cogitat, repræsentantur vitia sermonis ac morum, non ipsi affectus; corrumpitur tunc oratio et corruptela illa, et verborum ludicra, ut dicam quod sentio, non minus damni publico judicio afferre videntur atque olim publicis moribus afferebant gladiatorum pugnæ.

§ 6.

Non minus invehitur Messala[2], et jure quidem, in vanas illas exercitationes et exercitandi materias a

[1] *Art poét.* chant II, v. 51.
[2] *Dial.* c. XXXVI.

communi vita admodum abhorrentes. Ventosam[1] illam scholarum loquacitatem « quæ juvenum animos veluti pestilenti quodam sidere afflavit eloquentiamque perdidit, » Petronius quoque exagitavit explositque[2]. Tales erant illæ Quintiliani *declamationes*[3] et Senecæ *controversiæ* quasi abs natura aut contra naturam compositæ : hic nihil veritatem ne redolet quidem; falsa et ficta ista omnia et ad vocem et linguam exercendam tantummodo scripta aut recitata. Forenses illæ et populares contentiones, utriusque ordinis dissidia, graves senatus deliberationes, nobiles tribunalium lites, rostrorum majestas, ingentia illa eloquentiæ incitamenta, cum ipsa republica simul exstincta sunt. Itaque ingenium suum rhetores excruciabant, et historiam misere torquebant, ut hinc materias educerent ex utraque parte tractabiles; solitos pectoris humani affectus, civili quasi bello alios aliis committebant. Nos quidem vidimus, in nuperrima ferreaque, ut quidem aiunt, litterarum nostrarum ætate, flagitiis viros aut feminas coopertas et una tantum virtute tolerabiles: vidimus lyricam poesim, naturæ amatricem, versus omni super materia edentem et versibus illa canentem quæ solutus sermo contrectare religiosum habuisset. Quod quidem ut apud nos satietas præteriti, et, ut ait femina nobilis[4], intimorum aut multiplicium affectuum necessitas genuit, ita apud Romanos stolidas istas et vero nimis repugnantes materias morum corruptela, animorum depressio, educationisque antiquæ oblivio peperit.

§ 7.

Ex industria quidem aliud quoque, vehementer et sæpius a Messala suæ ætatis litteris objectum crimen,

[1] *Dial.* c. XXXI, XXXVI.
[2] *Satyricon*, c. I et II.
[3] Vid. Quint., vol. V et VI, edit. Lemarii.
[4] Mme de Staël, *De l'Allemagne*, IIe partie, XI.

distulimus, quod nobismet gravissimum videtur, quod cetera omnia continet. Nempe illas philosophiæ et studio et spiritu carere. « Ignorari naturam humanam, vim virtutum, pravitatemque vitiorum, et intellectum eorum quæ nec in virtutibus nec in vitiis numerantur; sapientiæ studium et præcepta prudentiæ penitus reformidari[1]. »

Præcipuum id ægrotantis hominum societatis indicium est, quum illa a Cicerone vocata virtutis *indagatrix* et *expultrix vitiorum*, illa cujusque rei *inventrix*[2] non dico scholas alere et subsellia agitare desiit, sed mentibus publicis præsidere et litteris prælucere[3].

Etenim magna prorsus est philosophiæ utilitas, quæstiones illas de Deo, de homine, de natura, volventis ac solventis; inde fit ut animi et excitentur et erigantur, ut et justitiæ increscat reverentia[4]; sed multo magis etiam prodest quod destitutas alioquin castitate et sanctitate litteras artesque honestet et ad finem suum semper revocet. Nota est illa celebrata in Platonis *Gorgia*[5] artium divisio qua medicinam coquaria,

[1] *Dial.* c. XXXI, XXXII.

[2] *Tusc. quæst.*, l. V, c. II.

[3] « Hoc sibi illi veteres persuadebant ut his artibus pectus implerent in quibus de bonis ac malis, de honesto ac turpi, de justo et injusto disputatur. . . . .
Ergo hanc primam et præcipuam causam arbitror cur tantum ab eloquentia antiquorum oratorum recesserimus. Si testes desiderantur, quos potiores nominabo quam apud Græcos Demosthenem? quem studiosissimum Platonis auditorem fuisse memoriæ proditum est. Et Cicero his, ut opinor, refert verbis quidquid in eloquentia effecerit, id se non rhetorum sed academiæ spatiis consecutum. » (*Dial.* c. XXXII.) — Conf. Ciceron. *Orat.* c. IV.

[4] Conf. Mme de Staël, *De la littérat.*, Ire partie, c. VII, passim.

[5] ..... δύο λέγω τέχνας, καὶ τὴν μὲν ἐπὶ τῇ ψυχῇ πολιτικὴν καλῶ, τὴν δὲ ἐπὶ τῷ σώματι...... μιᾶς δε οὔσης τῆς τοῦ σώματος θεραπείας, δύο μόρια λέγω, τὴν μὲν γυμναστικὴν, τὴν δὲ ἰατρικήν. Τῆς δε πολιτικῆς ἄντι μὲν τῆς γυμναστικῆς τὴν νομοθετικὴν, ἀντίστροφον δὲ τῇ ἰατρικῇ τὴν δικαιοσύνην.... Τεττάρων δὴ τούτων οὐσῶν καὶ ἀεὶ πρὸς τὸ βέλτιστον θεραπευουσῶν τῶν μὲν τὸ σῶμα, τῶν δὲ τὴν ψυχὴν, ἡ κολακευτικὴ αἰσθομένη..... τέτραχα ἑαυτὴν διανείμασα, ὑποδῦσα ὑπὸ ἕκαστον τῶν μορίων, προσποιεῖται εἶναι τοῦτο ὅπερ ὑπέδυ..... Τῃ μὲν οὖν ἰατρικῇ ἡ ὀψοποιικὴ κολακεία ὑπόκειται. Τῇ δὲ γυμναστικῇ κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον ἡ κομμωτική. . . . . . .
. . . .

exercitatricem mundo, legalem cavillatrice, justitiam rhetorica corruptam demonstrat; his verbis significans depravari liberales artes nisi sapientiæ amore regantur; nisi redundet ab illa quasi lux ingenii et amor virtutis, præciditur non modo boni obtinendi spes, sed etiam voluntas : atroces illa et ingentes animas sola informat.

Apud Romanos autem dissolutis prope moribus, obsolescentibus majorum institutis, jamdiu vagabantur plerique homines incerti quemnam deberent cursum obtinere; ancipites et suspensi animi in luxum ac libidines se projectum ibant, vel crastinæ diei incuriosi, vix sibi consulentes : philosophia una marcescentes voluntates erexisset. Ex hac scilicet doctrinarum ubertate, emergere solet humana mens par omnibus rerum acerbitatibus; felici illo contubernio et quasi quotidiana conversatione capax informatur optimorum affectuum animus, formatur pulchritudinis illa imago quæ vel cæcatis luminibus, si non lucem suam, saltem dulcem ac tepidum calorem offundit. Fuit illa optima nobis sors, ut litterarum et rerum publicarum omnibus vinculis perruptis, vigeret tamen philosophiæ studium; etsi duas continuo in familias divisa sit, quarum altera sensibus, altera animo magis addicta fuit, tamen, ne una quidem die, studium illud elanguit, etiam, hisce temporibus, novatorum in litteris secta fervente, et regulas omnes seu temporis præteriti, seu pectoris humani transgrediente, philosophia stetit index humani animi et investigatrix.

Caruerunt litteræ romanæ vera et indigena philosophia, quæ aliquid in se nativi et peculiaris haberet: grex epicureus viles delicias persecutus, animasque emolliens; stoica altitudo, doctrina quæ deterreat itineris longinquitate et asperitate, prorsus intractabilis,

ὅτι ἡ κομμωτικὴ πρὸς γυμναστικὴν, τοῦτο σοφιστικὴ πρὸς νομοθετικὴν, καὶ ὅτι ἡ ὀψοποιικὴ πρὸς ἰατρικὴν, τοῦτο ῥητορικὴ πρὸς δικαιοσύνην. (Γοργίας, p. 187, edit. Bekkerina. Londini, 1826.)

quæ, ut supra homines posita est, ita hominem infra ipsam cogit subsistere; academica disciplina, adeo temperata, adeo æqua, adeo, ut ita dicam, cerea ad omnes humanas libidines accommodari, hæ sunt quæ solæ apud Romanos civitatem impetrarunt. Defuit spiritus et verus illarum quæstionum amor; problemata non ex suo ingenio aut doctrinis, sed ex græcarum interpretationum modulo solvebant. Caruerunt igitur philosophia et indoles et ingenia; indoles, quum tam facile a libertate ad servitutem[1], ad desperationem, ad fœdam humilitatem desciverint, et satis patriæ factum arbitrati sint, si mortem sibi conscirent, et ceterorum incuriosi, fortiter obirent[2]; ingenia, quum tam facile tamque cito ab Augusti ætatis splendore ad imperatorum ætatem litteris funestam transierint, tamque breve spatium apud eos optimos a pessimis scriptoribus dividat; philosophia caruerunt, id est, defuit unde et vita eorum sanctior et opera altiora, sublimiora evaderent, defuit quod labantes sustineret, ac jam non liberos solaretur.

CAPUT IV.

§ 1.

Longam illam argumentationem claudit Maternus[3], altera ipsius Taciti persona, qui quasi publicæ apud Romanos eloquentiæ funebrem laudationem incipit, dum omnia olim ad eam alendam augendamque, nunc omnia ad imminuendam frangendamque conspirare asseverat.

[1] Conf. Taciti *Annal.*, lib. I, c. II, VII.
[2] Vid. Tacit. in *Annal.* lib. XV, c. LIX, LXII, LXX; lib. XVI, c. XXXV; in *Histor.* II, XLIX.
[3] *Dial.* c. XLI.

Materno quidem accedimus, magnam eloquentiam asserenti, non nisi in agitata civitate florere posse, nec eloquentia simul et quiete frui gentem ullam. Postulat illa quidem, uti vigeat, huncce rerum publicarum statum ubi administratio civitatis et ordinum inter se contentiones quotidiano quasi turbine versentur, et hancce civium vitam ubi libere et suis et publicis quisque possit utilitatibus consulere : necesse est ut forum quotidiana conversatione colant, et in tribunalibus patroni liberæ voci nullum frenum imponatur; alunt enim et sustentant eloquentiam tribunalia et conciones, et nescio an æqua ab utraque defluat materiarum copia[1].

Videmus Athenis Demosthenem sive in tutores[2], sive adversus eum qui ipsum percusserat[3], sive de *Corona* agentem æque admiratione dignum; Romæ quidem, ipse M. Tullius, nunquam magis animos percellit et regit et in eloquentiæ fulmina erumpit quam in ingentibus illis forensibus causis quas contra Verrem aut pro Milone dixit, et in multis aliis, quæ omnium animis obversantur; contra, domita libertate, torpet obmutescitque illa eloquentia licentiæ alumna.

Apud nos quidem, septimo decimo sæculo, ne ipsam quidem judicialem floruisse eloquentiam dixerim, nisi forte in Patrui orationibus[4]. Quod ad alteram illam eloquentiam, nempe publicam et popularem, ne exstitit quidem, nulla ipsius causa manente. Acuti veterum rerum indagatores nos docent, in inquietis sexti decimi[5] et incipientis septimi decimi sæculi[6] temporibus civilem eloquentiam satis fulsisse, his in turbidis tempestatibus, ubi in regiam potestatem grassatum est; sane tunc ora-

[1] Vid. Villemain, *Dix-huitième siècle*, IIIe partie, pages 351 et seq.— Idem, Nouveaux mélanges, *De la corruption des lettres romaines*, passim.
[2] Plutarch. in *Vita Demosthenis*, c. VI, t. IV, edit. Reisk. Lipsiæ, 1776.
[3] Idem, ibidem.
[4] Vid. La Harpe, *Lycée*, t. VII, c. I.
[5] Vitet, *États de Blois*.
[6] A. Poirson, *États généraux* de 1614.

tiones habitæ sunt quibus inerat sua laus et virtus; quandiu etiam conventus ac conciones legatorum omnis Galliæ Parisios convenerunt, gallicus adhuc rudis et male formatus sermo, in publicæ eloquentiæ modulum informatus est; at fulgura illa omnia sol Ludovici Magni exstinxit. Contra, ubi in secunda octavi decimi sæculi parte, civilia studia efferbuerunt et præsentem potentiam minor prosecuta est reverentia, judicialis expergefacta est eloquentia et Commentariis suis facetissimus scriptor etiam Voltarium laude florentissimum turbavit, donec finiente sæculo, civiles turbæ, libertas et vetus eloquentia simul eruperunt; utramque præsens ætas et retinet et videtur esse retentura.

Apud Romanos auditorium simul et loquendi libertas oratori in tribunalibus defuere, ex quo concessit a populo ad unius arbitrium respublica. Unum inter multa in nostro Dialogo verbum offendas quod omnia complectitur, nempe, sicut cetera omnia eloquentiam esse *pacatam* [1].

At, opinor, illa quæ paulo infra subjiciuntur, non sincera omnino sunt, nec totam Taciti sententiam reddunt : « Quoniam nemo eodem tempore assequi potest magnam famam et magnam quietem, bono sæculi sui quisque.... utatur [2]. » Nequaquam enim crediderim Tacitum tam facile quieti eloquentiam posthabuisse; verus autem horum verborum sensus erat, eloquentia jam non egere qui servirent, nec adeo eloquentiæ jacturam dolendam esse, quum dolenda esset libertatis; neque illam prius redituram quam hæc iterum erigeretur. Ironiam redolet illa eloquentiæ cum medicina collatio [3], quum eloquentia hujus-

[1] C. XXXVIII.

[2] C. XLI, sub finem.

[3] « Quod si inveniretur aliqua civitas in qua nemo peccaret, supervacuus esset inter innocentes orator, sicut inter sanos medicus. Quomodo enim minimum usus minimumque profectus ars medentis habet in his gentibus quæ firmissima valetudine ac saluberrimis corporibus utuntur; sic minor oratorum obscuriorque gloria est inter bonos mores et in obsequium regentis paratos. » C. XLI.

modi medicina sit quæ vitam subesse ostendat, qua autem deficiente, non valet sed ægrotat jam desperatum corpus civitatis : novit Tacitus, suis æqualibus non tam eloquentes viros quam eloquentiam ipsam deesse; quæcumque eloquentiæ crimina objicit, non tam crimina arbitratur quam virtutes; neque illam infamari his verbis : « Contumax est, sine obsequio, temeraria arrogans, » sed laudari atque comprobari. Etenim sæpius eo acrior et asperior est, apud Tacitum, vis indignationis et iræ, quum sub gravi quadam et leni specie latet [1]. Itaque nec jam fœdius nec atrocius ullum romanæ servitutis indicium habeas quam quod « omnibus, ut ait, *in obsequium regentis paratis* [2], » supervacua jam sit eloquentia, et Roma Macedonibus aut Persis conferatur [3].

§ 2.

CONCLUSIO.

His animadversis et constitutis, videtur nobis ille libellus quasi veterum et recentiorum litis pars, aut aliis nominibus et magis propriis, artis antiquæ et recentioris explicatio; quæ quidem quæstio ter et quater jam apud homines magna argumentorum copia agitata est, et de qua Aper et Messala iterum disceptant, et uterque, specie, in diversam, re vero, in eamdem inclinat sententiam. Demonstrat enim Aper arti antiquæ quid desit, quam irritum sit hoc antiquitatis et antiquorum nomen, quam sint mobiles artis formæ, quam necesse sit variari eas cum statu animorum et temporum articulis; quam sordeat prisca, quantum requiratur nova. Messala autem, etsi videatur longe aliter sentire, tamen ostendit veterem artem omnino

[1] Ut unum ex multis locum citemus, vid. *Ann.* lib. XVI, x, xi, xx.
[2] C. xli.
[3] C. xl.

evanuisse, et, licet desit hactenus nodus quo inter se antiqua et recentiora copulentur, tamen jam alia quæri *placendi itinera*.

Quænam autem ipsius Taciti opinio sit, facilius, ut arbitror, intelligas quam declares. Si quis a me sciscitetur utram Tacitus hic personam induerit? Messalæ personam dixerim. Si quis, utri videatur parti assentiri? Messalæ iterum dixerim. At, si quis hoc parum contentus, interroget me quemnam se ad modulum et exemplar informaverit? Aprum nominabo.

Quidnam hocce significat? Tacitus quidem, veterum admirator, veteris eloquentiæ patronus, veterum maxime institutorum laudator[1], si quidem sincere priscam luget eloquentiam ademptam et inclinantes litteras et artem, luget imprimis libertatem oppressam[2]. Neque enim ad causam illam suscipiendam magis litterarum studio adducebatur quam amore libertatis; ne id obliviscamur, de republica in hoc libello æque ac de litteris agitur; sicut cetera Taciti opera, ita et illud non ad peculiarem modo finem vergit sed ad aliam quoque, æque admirandam, nempe ad præsentis temporis insectationem. Quemadmodum in *Moribus Germanorum*, opposita alienigenarum rudi sed incorrupta barbarie, romanos mores, romanamque corruptelam oblique perstringit[3], sic in Dialogo nostro veterum scriptorum causam pristina libertas agit.

Nihilo tamen minus Tacitus novatorum numero debet adscribi. Quid enim est ei cum Cicerone commune aut simile? Nonne prærupta Taciti oratio, et multicolor? Nonne et breves illæ sententiæ, et affectatio brevitatis, imprimis cogitationis vis ac novitas, nulli non sententiæ, nulli non vocabulo sensum altum subji-

[1] Conf. *Annal.* II, XXXVII; III, XXXIII. — *Histor.* I, XL, etc.

[2] « L'amour de la liberté respire partout dans tous ses écrits. Partout on y sent le regret des temps qui ne sont plus. Son âme est républicaine sous la monarchie des Césars. » Burnouf, introduct., page XLIII.

[3] Conf. *Mor. German.* c. XVI, XVII, XVIII, XIX, XX, XXVI, XXVII.

ciens, et paucis verbis res multas complectens, et fervidus ille libertatis amor, alium demonstrant et hominem et scriptorem ac circumscripta et recta et tersa Augusti ætatis oratio et plures cogitationibus sententiæ? Cicero libertatem crebro amplis verbis laudat; illam, Augusto regnante, aut tacent scriptores, aut non omnino impune laudant[1]; ea autem usque præsens in Taciti oratione residet, cuilibet ejus sententiarum veluti infusa. Unius Taciti scribendi genere quæcumque Aper congessit argumenta, confirmantur, quæcumque Messala, confutantur: variatas nempe artis formas *Annales* ostendunt, a Livii *Historiis* ceterorumque latinorum historicorum ratione tam absimiles[2]; exemplarium recentium, quæ novatoribus a priscis objicitur, inopiam Tacitus unus supplet.

Quod si philosophia carent Trajani ætatis scriptores, quis philosophiam, non illam vagam de abstrusis et reconditis rerum principiis, sed certam, agentem, felicius et eloquentius orationi suæ inseruit[3]?

Ex his omnibus, vere nova, Tacito auspice, nata est in litteris ars qua mentes non tam permulcentur quam percelluntur, quæque tot apud legentem cogitationes, pluresque etiam suscitat quam ipsa edidit. Ergo in hac veterum et recentiorum lite, Tacitus, etiam inscius, ad recentiores inclinabat, et exemplo suo, si non verbis, tuebatur : loquitur ut unus e veteribus illis, quia præterita tempora libertatem jam aboleverant, idcirco artem novam quasi consciam libertatis ademptæ lacessere videtur; scribit ut novator, quia ingenium ejus in novam artem vergebat, et *gravitati cultum*[4] jungere percallebat; utinam, quoties litteræ instaurantur, ars nova semper hu-

[1] Nota est Senecæ illa de Augusti ævo sententia : « Nondum hominibus verba sua periculosa erant, jam molesta. » *De Benef.* III, XXVII.
[2] Vid. Meyerum, *Oratorum fragmenta*. Parisiis, 1837, p. 110 et seq.
[3] Hoc apud eum adeo frequenter occurrit, ut non unus aut alter locus exscribi possit, sed jam ad universa illius opera lector ablegandus sit.
[4] *Dial.* c. XXIII.

jusmodi exemplaribus ac scriptoribus honestaretur nedum opus sit, ut vult Messala, eam tunc *antiquariis criminari*[1]?

APPENDIX.

QUID SIT SENTIENDUM DE LACUNA QUÆ IN DIALOGO OCCURRIT[2].

Magna hiare lacuna[3] opusculum nostrum post hæc verba « quum ad veros judices ventum est (c. xxxv) » omnes codices manuscripti testantur, ut codex Farnesianus qui, teste Lipsio, spatio grandi usque ad hæc verba « rem cogitare, » interposito, adjicit : Hic multum deficit; sic in manuscripto Vaticano magnum spa-

[1] C. XLII. « Ac simul assurgens (Maternus) et Aprum complexus : Ego, inquit, te poetis, Messala antiquariis criminabimur. At ego vos rhetoribus et scholasticis, inquit. »

[2] Scribentibus nobis illæ fuerunt ad manum editiones : Schulzii, Brotieri, La Mallii, Orellii, Lemarii, Burnoufii, coll. Pankouk exemplar, coll. Nisardi Trossii.

[3] Sunt quibus non ita magna lacuna hic exstare videatur et qui paucis admodum verbis suppleri hæc et corrigi posse opinentur; sic Schlutigius ita hæc resarciri posse conjicit : « Quum ad veros judices ventum est, nec rem cogitare possunt, qui nihil humile, nihil abjectum eloqui poterant. » Commoveri ad hæc Aper, et Maternus : « Ita est, inquit, magna eloquentia sicut flamma, etc.; » Maternum hic nempe omissis ambagibus adripere sibi loquendi partes, ne Aper homo concitatioris ingenii eum interpellet (vid. Schulz. loc. cit.) — Schurtz-Fleischius contra, citra magnum laborem, sic restitui posse locum censet : « Ingentibus verbis persequuntur, quum ad veros judices ventum est nihil humile, nihil abjectum eloqui oporteat. » Ejicit itaque : *rem cogitare*, suspicatus nempe librarium in margine quondam adscripsisse : « rem cogitare » sicuti græce librarii interdum obscurioribus locis adscribere solebant ζήτει vel φρόντιζε.

Paucissimos tantum hic versus deficere quibus Messalæ Secundi, Secundi oratio Materni jungeretur orationi, censet Bekkerus, et verba quæ fecit Maternus ab iis incipere : « non de re otiosa » vide Bekkeri Annotationes apud Orellium, p. 95 seq. Ista quidem magis ingeniosa quam vera nobis videntur.

tium relictum, aliusque codex Vaticanus notat : Hic sex plagulæ desunt. Jam locupletissimus ille codex quem Trossius in Leidensi bibliotheca inspexit, adscripta in margine annotatione : « deerant in exemplari sex pagellæ vetustate corruptæ[1], » simile aliquid testatur.

Quid vero hoc *multum deficit?* aut quales *pagellæ?* jam rem fere solvit vir doctissimus acutissimusque Eggerus, qui, paucis abhinc annis, in bibliotheca regia Parisiensi novum codicem, Dialogum de claris Oratoribus continentem, detexit; quumque codicem omni ex parte perspexisset, fasciculosque, quibus constat, accurate percensuisset, et, quinquernioni illi, quo lacuna continetur, novem folia, hoc est 18 paginas deesse animadvertisset, ita de hoc disserit :

« Habemus igitur de lacuna certius indicium quam quod in Vaticano 4498 docebant verba : Hic multum deficit; in Vaticano 1518 : Hic desunt sex pagellæ (alii plagulæ); in Farnesiano, secundum Niebuhrium, integra pæne pagina vacua : Multum deficit in exemplaribus quæ reperiuntur..... Nostræ enim octodecim paginæ quid continere debuerint satis probabili mensura definire possumus. Folia 57 $\frac{1}{2}$, id est paginæ 105, superstitem Dialogi partem in codice regio complectuntur; eadem Schulzii (nam is fuit ad manum scribenti) 1254 versibus absolvuntur. *Una* ergo codicis pagella Schulzianæ editionis duodecim fere versus continet; 18 pagellæ = 216 versus, id est, septimam Dialogi partem. Equidem hac fretus calculorum ratione omnibus recentiorum de magnitudine lacunæ conjecturis libenter valedicerem, nisi reputarem omnes illas meas supputationes ab ignoti librarii judicio de sui archetypi defectu pendere. Eo tamen me consolor quod

[1] Hæ sex pagellæ (si credere liceret Pontanum totidem lineas in quavis pagella scripsisse, quot in vetere illo exemplari scriptas reperisset) quatuor fere paginas, quales in nostra sunt editione (quarum quæque viginti versibus absolvitur) effecisse videntur. Trossii adnot.

scribam spatium excipiendo posteriori Dialogi fragmento idoneum satis recta oculorum conjectura præmetatum esse constat[1]. »

Inquiramus nunc varias variorum criticorum opiniones de ipsa lacunæ materia et cujus interlocutoris, vel potius quorum interlocutorum, nobis verba abstulerit, si fieri possit, expediamus.

Plerique opinantur[2] deesse finem orationis Messalæ, totam Secundi, initiumque Materni. Secundum enim non nihil esse locutum quis dubitare jam possit quum in Dialogo legatur[3] : « Ita..... memoria ac recordatione opus est, ut quæ a præstantissimis viris et excogitata subtiliter et dicta graviter accepi, quum *singuli* diversas vel easdem, sed probabiles causas afferrent, dum formam sui *quisque* et animi et ingenii redderet. » Quid enim sibi aliud vocabula illa *singuli* et *quisque* significarent, nisi tres fuisse qui veterem eloquentiam contra Aprum defenderent? Neque Aprum his vocabulis *singuli* et *quisque* designari posse manifestum est, quippe qui solus recentiorum causam adversus ceteros interlocutores tueretur[4]. Jam : « Pro duobus, inquit Maternus, Secundi verba excipiens, promitto : nam et ego et Secundus exsequemur partes quas intellexerimus te non tam omisisse quam nobis reliquisse[5]. » Quid sibi vellent ista verba, nisi Secundus veterum laudi defendendæ intervenisset. Quæ autem fuerit Secundi oratio licet conjectura judicare. Quid enim? fierine potuit eum fusius tractasse quasdam a Messala

[1] *Allgemeine Schulzeitung*, 1836, n° 43, p. 337. De eadem re gallico sermone idem disseruit : *Journal général de l'instruction publique*, 1835, n° 91.

[2] Brotier, loc. laud. — Doederlinius, in editione Dialogi Orelliana, p. 98 et 99.

[3] *Dialog*. c. I.

[4] « Et ipse Aper satis manifestus est (suo Secundique nomine Messalam alloquens ait Maternus) jamdudum in contrarium accingi, nec æqua anima perferre hanc nostram pro antiquorum laude concordiam. » C. XVI.

[5] C. XVI.

internas vel a Materno externas indicatas corruptæ eloquentiæ causas[1], ostendisseque, apud recentiores non satis pueros publico privatoque juri et historiæ ediscendis se dedere; vel Materno assentientem, eloquentiam, uno regnante, obmutuisse; quæ quidem congruerent cum iis quæ apud Nostrum reperiuntur « quum singuli diversas vel easdem sed probabiles tamen adferrent causas[2]. » Ecce autem his parum contentus, novas aliquas lites suscitat Heumannus[3], qui miratur vehementer neminem observasse in cap. XL ante verba..... « Non de otiosa re sed..... » ingentem hiatum, quum tamen præcedentia verba sint, ut ait, Messalæ causam eloquentiæ agentis, sequentia vero Materni qui contra oratores eorumque artem verba faciat, id quod se facturum supra initio promiserit[4]: manifeste igitur hic permulta excidisse ac Messalæ orationem fine, Materni exordio carere; illi assensus est Bekkerus qui præcedentia verba non ut Heumannus Messalæ sed Secundo tribuit, neque longam censet esse lacunam, sed paucis tantum deficientibus, hic Materni incipere orationem « Non de otiosa » « Heumannus enim, inquit, bene cognoverat non ejusdem hominis verba esse posse quæ antecedant, quæque sequantur, quum in antecedentibus causa elo-

[1] Conf. in Brotieri supplemento quas corruptæ eloquentiæ causas apud eum profert Secundus. C. IV, V, VI, VII, VIII, IX.

[2] Nihil ex his verbis effici contendit Ritterus. Messalæ quidem orationem fine carere, Secundum autem non esse locutum sic demonstrare conatur : « Non est ipse Secundus qui se dicturum ibi promittit, sed Maternus pollicitus est se et Secundum exsecuturos esse eas partes quas intellexerint eum non tam omisisse quam sibi reliquisse; quæ est honorifica commemoratio, nihil amplius; sed gravius est quod ex fine Dialogi legenti apparet Secundum non esse locutum; nam Maternus post finitam orationem Aprum complexus, fore dicit ut ipse Aprum poetis, Messala eumdem antiquariis criminaretur. Sed Aper ad Maternum et Messalam conversus : Ego inquit vos rhetoribus, et scholasticis. Vides omnes qui locuti sunt commemorari, Secundum ceterosque, qui audierant, silentio transmitti. » (Ritter, in editione operum Taciti Orelliana Turici, 1848, t. II, p. 528.)

[3] Vid. Schulzium, p. 160. Nota.

[4] C. XVI.

quentiæ agatur, in sequentibus vero contra oratores eorumque artem disputetur. Secundi verba antecessisse necesse est; Secundus etiam orator satis laudatus et historiarum auctor, potius Messalæ sermonem excipere valebat quam Maternus qui, relicto foro judiciisque, quum poetæ tantum laudibus floreret, ideoque extra contentionem quasi positus esset, optime et solus ad totam litem componendam aptus erat, illas rationes proferendo, quæ magnæ veteris illius eloquentiæ damnum bonis aliis compensantes solatio esse possent [1]. » Quod ad nos, iterum atque iterum inspecto loco, jam vero aliter sentimus, iisque assentimur qui supra in lacuna insigni quæ sub finem cap. XXXV exstabat, defectum illum quærunt. Itaque verba quæ sequuntur : « Non de otiosa re » nequaquam abhorrere a præcedentibus videntur, fierique potest, incolumi judicio, ut unius ejusdemque sint personæ. Quid enim? Maternus oratorum veterum præstantiam ex turbida veteris reipublicæ conditione explicaturus paulatim assurgit et postquam incitamenta antiqui oratoris et præmia percensuit [2] formamque judiciorum et consuetudinem prius minus adstrictam descripsit, postremum, c. XL, quod sentit pronuntiat: eloquentiam alumnam esse licentiæ etc.; ideoque apud antiquos, quum licenter agerent eam artem viguisse; sed quum jam, amota licentia modeste viveretur, fractam esse illam antiquorum temporum eloquentiam. In prioribus capitibus exposuit quo pacto apud majores, libertas artem dicendi aluerit, provexerit; jam in universum contendit eam esse hujus artis naturam, ut in bene constitutis civitatibus non oriatur, quapropter in civitate romana, donec erravit, eam floruisse, sed quum jam concordia redierit (quo lætatur ille), fractam esse veterum illorum artem. De eodem igitur argumento quod modo in c. XXXVI, etc. tractaverat,

[1] Bekkerus, loc. cit.
[2] C. XXXVI, seq.

id est, discordia ali eloquentiam, dicere pergit in c. XL, nisi quod hic paulo vehementius artem dicendi a se improbatam adgreditur, his verbis : « Est magna illa et notabilis eloquentia alumna licentiæ... comes seditionum, effrenati populi incitamentum, etc. » Unde jam colligi potest nullam hic esse lacunam, et quæ in cap. XXXVI, XXXVII, XXXVIII, XXXIX, XL, leguntur, plane inter se cohærere, nedum discrepent.

Sed ecce idem Gutmannus qui jam supra nobis subtili sua disputandi ratione moras injecit, iterum nobis refutandus, dum affirmat non interrumpi Messalæ orationem ; eum contra, non Maternum, usque ad Dialogi finem de eloquentia disputare : « Is (Maternus) nimirum, inquit[1], in hunc modum loquitur, c. XL : « Magna ista et notabilis eloquentia, quam stulte libertatem vocant, comes seditionum, effrenati populi incitamentum, etc. » Quomodo hic sermo convenit Materno qui ferebatur potentiorum aures liberius loquendo offendisse, qui tamen securitatem suam non curans respondet : « Leges tu quid Maternus sibi debuerit et agnosces quæ audisti : quod si qua omisit Cato, sequenti recitatione Thyestes dicet[2]. » Sed præterquam quod jam hoc uno verbo disserentem nostrum hominem sistere queamus : *Finierat Maternus*[3], jam pauca adjiciemus, quibus prorsus solvitur quæstio. Conferamus igitur aliquos locos e priori Materni oratione desumptos cum posterioris (c. XXXVI, XXXVII, XXXVIII) quibusdam locis ; jam liquebit eas specie magis quam re ipsa inter se differre. Sic enim Maternus, c. XII : « Nam lucrosæ hujus et sanguinantis eloquentiæ usus recens et ex malis moribus natus atque.... in locum teli repertus. » Rursus (c. XIII) : « Ac ne fortunam quidem vatum et illud felix contubernium comparare timuerim cum inquieta et anxia oratorum vita ; licet illos certamina et pericula sua ad consulatus evexe-

[1] In edit. Orell. loc. citat.
Dial. c. III.
[3] *Dial.* c. XLII.

rint. Malo securum et quietum Virgilii secessum.... Nec insanum ultra et lubricum forum famamque pallentem trepidus experiar, etc. » Hæc satis, meo quidem judicio, consentiunt cum iis quæ in cap. XXX, XXXVII, XL leguntur. Ex duobus igitur Materni declamatiunculis patet eum, utpote virum otii pacisque amantem, in universum poeseos esse defensorem, eloquentiæ adversarium; ideoque, oblata occasione disserendi de veteri et recenti eloquentia, sibimet ipse constans, rem judicat, neutri scilicet æquus; tamen ut judex incorruptus, veterum dicendi genus recentiorum eloquentia præstare putat, sed iis de causis quas odit et procul idcirco amolitur. Famam et gloriam quieti posthabet; quod quidem nequaquam repugnat cum iis liberioribus verbis (c. II) et ardentem libertatis amorem redolentibus, quoniam fieri potest ut vir póeta, atroces illos præteriti temporis homines, sive Catonem sive alium quempiam quasi ab inferis excitet, et una et altera fabula laudibus efferat, versibusque liberioribus celebret quasi ad præsentem rerum statum perstringendum, quum tamen idem otium et pacem quam maximo studio prosequatur.

Ita ergo sentio : Secundi orationem deesse, Messalæ fine, Materni exordio carere, quod jam inde conjecerim quia Maternus, c. XXXVII, se *subinde*, ait, monere quæstionis meminerint, quum tamen, in iis quæ supersunt, non apparet eum tale quid jam admonuisse; denique Materni esse omnia quæ inter c. XXXVI et XL includuntur; itaque errare arbitror virum doctissimum Dodwellum[1] qui ex his *plura dici vellem* (c. XLII, *loc. cit.*) nulla hiare lacuna opusculum nostrum opinatur, alterumque habitum fuisse dialogum, quem tempus nobis forsan inviderit. Brotiero[2] contra assentior scribenti : « In his disputationibus quum et modestiæ sit ut nemo se victorem arrogantius prædicet, et hu-

[1] *Loc. cit.*
[2] In Dialog. adnotat. sub finem.

manitatis, ut nemo se victum fateatur, sic sæpe concluduntur quasi adhuc anceps sit quæstio et enucleatius explicanda; nec aliter apud Ciceronem *De natura Deorum*, III, XL, Balbus, Cotta et Velleius decedunt; integer ergo est ex hac parte Dialogus; utinam alia multa quæ supra notavimus non periissent! »

FINIS.

INDEX.

PROOEMIUM.

§ 1. De Dialogi auctore.................... Pagina 1
§ 2. Quid nobis sit propositum de Dialogo disserentibus.. 11

CAPUT PRIMUM.

VARIA APRI PERPENDUNTUR ARGUMENTA.

§ 1. Nullam esse antiquitatem. — Quid sit de hoc sentiendum.................................... 13
§ 2. Mutari cum temporibus formas dicendi. —Obiter solvitur quæstio, utrum una sit pulchritudinis species, una artis forma, necne.................................. 14
§ 3. Apud antiquos etiam plures dicendi species deprehendi. — Quid sit de hac varietate sentiendum; — afferuntur e græcis latinisque litteris desumpta exempla......... 16
§ 4. Pervulgatis jam omnibus, novis et exquisitis eloquentiæ itineribus opus esse. — Quid inde periculum aut commodum. — Quod romanis novatoribus obsoletum visum est, τοῦ ἐγώ scilicet affectationem et eruditionis aucupium, hoc apud recentiores nostros novatores multum valuisse. — Afferuntur exempla. — Mirum prorsus esse, pauca ab Apro suæ ætatis novatoribus tanquam crimina objici, apud nostros novatores eadem pro virtutibus habita esse............. 18
§ 5. Novæ artis merita describit Aper et quid jam ab oratore exigatur declarat. — Necesse esse turbam luminibus et sententiolis, quæ excerpere possit, percelli. — Poeticum decorem orationi debere immisceri. — Quare debeat......... 20
§ 6. Nova ars cum vetere arte obiter confertur........ 24

CAPUT SECUNDUM.

JAM SENTENTIA SUA CONSTITUTA, NOVÆQUE ARTIS PRÆDICATA ET DEMONSTRATA NECESSITATE, VETEREM ARTEM IMPUGNARE PERGIT APER.

§ 1. *Risum* et *soporem* eam movere. — Illam coloris indigentiam et affectuum ignorantiam ab Apro veteribus objectam, a nostris novatoribus septimo decimo sæculo esse quoque objectam; nec omnino perperam. — Magis nostros novatores animi anxietatem et sollicitudines quam septimi decimi sæculi auctores esse expertos; tum quare experti sint. — Quid inde commodi aut periculi eveniat. Pauca alia, multo

quidem leviora Apri argumenta examinantur. —Quid hinc in ipsum Tacitum colligi possit........................ 26

CAPUT TERTIUM.

VARIA MESSALÆ ARGUMENTA PERPENDUNTUR.

§ 1. Verum esse aurei cujusque sæculi scriptoribus inesse similitudinem quamdam judicii et voluntatis cognationem. — Afferuntur exempla.......................... 33
§ 2. Quid significet et ad quosnam scriptores transferendum hoc aliud argumentum : se malle *impetum* et *maturitatem* in oratione quam *calamistros*, *tinnitus*, et *meretricias vestes*. 34
§ 3. Argumentum illud quo contendit deesse novæ arti exemplaria quæ veteribus possint conferri, minime valere neque litem dirimere................................. 37
§ 4. Non immerito lugere Messalam non jam veteres oratores assidua conversatione coli......................... 38
§ 5. Fœda ac pudenda quotidiani sermonis vitia orationem invasisse dolet; duplex inde, nobis judicibus, et æque declinandum periculum.............................. 41
§ 6. Ex antiquæ educationis oblivione stolidam istam et a communi sensu recedentem natam esse eloquentiam. — Idem apud nos accidit ex intimorum et multiplicium affectuum necessitate..................................... 42
§ 7. Gravissimum esse, et in eo omnia cetera contineri, sæpius a Messala recentioribus objectum crimen, scilicet litteras illius ætatis philosophiæ spiritu carere................. 43

CAPUT QUARTUM.

MATERNI PARTES ET ORATIO EXPLANANTUR.

§ 1. Verum esse magnam eloquentiam non nisi in agitata civitate florere posse, afferuntur exempla.—Pauca hic enuntiari a vera Taciti sententia aliena...................... 46
§ 2. Conclusio.................................. 49

APPENDIX.

Quid sit sentiendum de lacuna quæ in Dialogo occurrit... 52

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, ipsis idibus decembr. ann. MDCCCL,

Facultatis Litterarum Parisiensis decanus.

J. VICT. LE CLERC.

Typis mandetur,

Acad. Paris. rector.

CAYX.

1775



